UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies Meditationibvs illustratæ

**Paderbornæ, 1697**

Junius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62968

Visual Library

3. Si Deus velit, ut diu in morbo, aliísque miſeriis jaceas, gratias ipſi age. Lauda, adora divinam ejus providentiam; ſi verò te morbo, alijsque afflictionibus expediêrit, memento ideò Dominum hoc feciſſe, ut ipſi ſervires, quemadmodum Petronilla Patri ſuo miniſtravit. *Noli amplius peccare*; ita Chriſtus monebat eos, quos ſanârat. Sta promiſſis, nec obliviſcâre beneficiorum amantiſſimi Patris.

# JUNIUS.

## S. SIMEON Confeſſor.

1. Junii.

*Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cùm in tentationes varias inciderітis: Scientes, quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur.* Jacobi. 1. c. v. 2.

SIMEON Siculus adoratis, quas Dei filius ſacravit, regionibus, ad amorem paupertatis, quam omnia ejus veſtigia ſpirant, exarſit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

exarſit. Jura ſanctitatis eum Anachoretes docuit, vel ſemel exerrantem in fœminas oculum gravi oratione ad officium revocaturus. Ab eo deniq; manumiſſus loca plura magis virtutibus nobilitavit. Subinde in piratas incidit nihilo mitiora comitibus occiſis paſſurus, ni ſalientem de puppe petitúmque telis divinior vis texiſſet. Tandem delatus Treviros ſpeculam ſibi in turris faſtigio elegit, quam expugnare orcus aggreſſus, ſuas in Chriſtianũ Herculem hydras, & omne monſtrorum genus nequidquam armavit. Stultius ſtratagema fuit, cùm perditi tenebriones neſcio quos fatuos ignes radiosque tugurio ejus infunderent, ſed ille fanaticam lucem oculis non admiſit, Solem ſuum mortuo ſibi oriturũ dictitans: Dæmones, eluſis artibus ſuis, auxilium ab hominum malevolentiâ petunt, qui noxiam aquarum inundationem ſceleribus ejus imputare auſi, convitiis ſaxisque in caput innocentis ſunt graſſati. Stationem tamen non antè deſeruit, quàm illum cœli Imperator evocaret. Anno MXXV. Corpus ejus exanime prodigioſo ſudore immaduit. Quis arduam neget ad cœlum viam? in qua etiam hi curſores, & quidem poſt mortem, ſudant. Ex Sur.

# MEDITATIO
## De variis tentationum victoriis Simeonis.

1. NE tentatori aditum facias in animum tuum, claude oculos præ omnibus portis. Semel tantum exerravit Simeon in vultum fœminæ liberiore oculi jactu evagando, & hunc errorem longiſſimâ oratione expiavit. O oculi, ſcopuli! *Vidit David mulierem ſe lavantem ex adverſo*: & quanta illa laudum ac meritorum oneraria naufragium fecit? neque tu times fragili carinæ? quin potius Simeone Magiſtro diſce te ipſum corripere, & quemcunque liberiorem aſpectum ſeverè plectere. *Oculi veſtri etiamſi conjiciantur in aliquem, in neminem tamen figantur*. S. Auguſt. Epiſt. 109.

2. S. Simeonem, quem Spectrorum larvis ab orandi ſtudio abſterrere non potuit Orci tenebrio, circumfuſâ fatuâ luce excæcare conatus eſt; ſed facilè erat Simeoni mendacis lucis Caco-angelum abigere, qui non alium ſolem amavit, quàm Jeſum Chriſtum. Nunquam tuis confide meritis, ſi tibi ſanctus videris, ſanctificeris adhuc: *perfectorum juſtitia eſt, ut nunquam præſumant ſe eſſe perfectos*. D. Leo. Et quia nihil adeo timet proditor tuus, quàm prodi, confeſſario tuo conſcientiam tuam fideliter aperi.

3. S. Simeonem Dœmonum victorem maledici homines

homines linguarum telis, & ſaxorum imbribus aggrediuntur. Si Deo ſervire intendis, cogita conclamatum eſſe contra te illud: *circumveniamus juſtum & opprimamus eum*, tu ſuſtine fortiter, & dic; *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.*

# SS. MARCELLINUS & PETRUS MARTYRES.

2. Iunii.

*Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè ad domeſticos fidei.* Paul. ad Gal. 17.

Nihil agis Impietas: Chriſti Servus etiam inter vincula liber eſt; Inſultabat Arthemius PETRO compedibus onerato, experiretur Dei ſui vires, & rumperet catenarum nexum, ſi tamen in Jeſu nomine confideret. Petrus non id modò præſtitit, ſed Paulinam inſuper ejus filiam, Diaboli mancipium, expulſo improbiſſimo tyranno, in libertatem aſſeruit, unaque Arthemio perſuaſit, Deo, antea ſubſannato, cum om-

nibus carceris incolis, ſacramentum dicere, MARCELLINUS, qui eos Chriſtiano ritu abluerat, nudus vitri fragmentis impoſitus, non ante, quàm ab Angelo juſſus, ex illo ſe lecto proripuit, & cœleſti veſte excultus cum Petro, quem idem Angelus cippo exemerat, Chriſtianorum ſe cœtui reddidit, quibus animandis cùm ſeptem ipſos dies impendiſſet, pleno tandem agmine Arthemium cum uxore & filia ad ſupplicium euntes comitatus eſt. Ipſi denique in ſilva, cui nigræ cognomentum fuit, inter ſenticeta, capite plexi ſunt. Nihilominus vel invito tyranno abſcondi inter ſpinas lilia non potuêre, & ſanctitatis odor rubentes ſuo ſanguine roſas prodidit. Lucilla & Firmina caſtis illas manibus legerunt, & in communi SS. Martyrum viridario, collocarunt. Silvæ quoq; nomen immutatũ eſt pro Nigrâ Candida poſthac audiit. Eſto & tu lilium inter orbis ſpinas, & cæli candidatum te appellabo. *Ex Surio.*

## MEDITATIO

## *De triplici ratione convertendi animas.*

1. ETHnicus ad veram fidem, peccator ad meliorem frugem verbis poſſunt revocari. Verba

Verba quàm plurimùm valent, maximè ſi propin-
quus, aut amicus ea opportunè dixerit. Mutua ne-
ceſſitudo amicorum ſaluti, & Dei gloriæ ſerviat.
Si verè amaveris quemquam, fac, ut & ipſe Deum
amet, & ametur à Deo.

2. Bona vita hortatio eſt validiſſima, poteſt cer-
tè allicere ſceleſtos omnes ad meliorem vitam.
Nunquid exemplum tot piorum hominum, qui fi-
deliter ſerviunt Deo, utiliùs eſt convertendis pec-
catoribus; quàm comptæ concionatorum orationes?
Charitas, manſuetudo, humilitas, divitiarum, ac
voluptatum contemptus, ea ipſa ſunt, quæ pecca-
tores ad emendationem vitæ & morum traducunt.
Sic Apoſtoli vitæ integritate plures adjunxerunt ſi-
bi, quàm Philoſophi doctrinæ magnificentiâ. ***Nec
tantos inveniunt verba diſcipulos, quantos Chriſtiani fa-
ctis docendo.*** Tertul.

3. Tolerantiæ demùm efficaciùs, quàm verba, &
aliæ actiones virtutem ſuadent. Martyrum crucia-
tibus infinitorum hominum debetur converſio. Pa-
tienter feras levitatem fortunæ, & hoſtium arro-
gantiam; hac ſiquidem ratione converſionem
perficies tuam. ***Ad erudiendum populum nullorum uti-
lior eſt forma, quàm martyrum eloquentia.*** S. Leo.

---

# SS. PERGENTINUS & LAURENTINUS. M M.

3. Junii.

*Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtrâ virtutem: in virtute autem ſcientiam: in ſcientiâ autem abſtinentiam: in abſtinentiâ autem patientiam: in patientiâ pietatem: in pietate amorem fraternitatis: in amore fraternitatis Charitatem.* 2. Pet 1, cap. v. 6.

NOn minùs ſanctũ, quàm nobile par fratrũ Pergentinum & Laurentinum aſpicis, quorum nomen Aretini Cives, ad Tiburtium Pietatis hoſtem delaturi hæc accuſationis capita habuêre: ludum litterarium eos quotidie frequentare; rimari arcana Phyloſophiæ Chriſtianæ; & jam privatim exercere magiſterium ejusdem ſectæ; id ſi publicè audeant, neminem fore quem non eloquentiâ ſint corrupturi. Tiburtius propriâ confeſſione convictos, inviolatos tamen abire paſſus eſt, tanto nequior, quantò blandior. Nihil deinde de more ſuo remittentes, cædi fuſtibus juſſit, plagisque obſatu-

obſaturatos inediâ plecti. Tridui jejunio maceratis Angelus menſam ſtruxit de cœleſti penu cellaque; cujus delicias qui guſtet, ſentiat profectò, obſonare famem tanti fuiſſe. Allapſa ſimul cœlo lux, & ſponte laxatis carceris foribus, Chriſtianis cum Pergentinâ ſorore ad captivos via patuit; ſed ij cœli nectare ebrijs fugam ſuadere aggreſſi fruſtra fuerunt. Carnificum contrà ad mortem eos evocantium ſuaviſſimæ voces viſæ; quam priuſquàm oppeterent, ſaxeam Jovis ſtatuam ardore precum ſuarum in modum ceræ coëgerunt liqueſcere. illuſtre miraculum, inquies, imitabile tamen: Potes tu quoque Bacchum, Venerem, aliàq; improbæ mentis Idola precibus extinguere.

*Ex Surio.*

## MEDITATIO

## *De quibusdam præcipuis lectionibus addiſcendis in ſchola Chriſti.*

1. Lectio Epicureorum in ſchola mundi eſt: *Ede, bibe, lude*: & illa appendix hujus regulæ mundi, infallibiliter eveniet, *poſt mortem nulla voluptas.* Nihil enim ſupererit in altera vita præter Ah! & Væ! Lectio autem in ſchola Chriſti prima eſt: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum &*

*tollat crucem ſuam quotidie.* Matt. 11. qui hanc didicerit, illi in præmium obtinget liber vitæ, in quo Alphabetum exaratum eſt, cujus *Alpha & omega Deus. Omega* quidem finis patiendi: & *alpha* initium gaudendi.

2. Altera lectio in ſcholâ Chriſti eſt: *Abſtine ſuſtine.* hanc regulam edocti ambo diſcipuli Pergentinus & Laurentinus doctoratûs cum martyrio lauream obtinuerunt; *abſtinuerunt* inedia à tyranno emacerati: *ſuſtinuerunt*, plagis pro cibis ſaturati, quamvis non ita jejunio enervati ſint, ut Saxeum Jovem non colliqueſcere fecerint, cæleſtibus epulis, terreſtrium vice, amborum vires reſtaurantibus. Carni non indulgeas ut cœleſtia ſapias. *Incraſſata caro, guſtat cæleſtia rarò.*

3. Tertia lectio in ſchola Chriſti eſt: *Vera ſcientia conſiſtit in duobus punctis, nimirum quod Deus ſit omnia, & homo ſit nihil.* S. Laurent. Juſtinian, ingemina cum S. Franciſco Seraphico millies & millies, *O Deus meus! Deus meus! & omnia!* Et illud tibi monitum ſuggere, & ingere, quo Philippus Macedo ſe indies à ſomno excitari voluit. *Surge Rex & hominem te eſſe cogita.*

# S. QUALTERIUS CONFES:

4. Junii.

Qui

*Qui non odit Patrem, & Matrem, & uxorem, & Filios, & fratres, & Sorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Luc. 14. c. v. 26.

DUbitabit aliquis QUALTERIUM Mundi ſidus dicere? cùm humerum ſtellâ inſignitus in lucem prodierit, divino munere parentibus conceſſus, Numini Baſilicam in vicem ſpondentibus. Gratiarum domicilium diceres, tanta erat oris venuſtas, tanta morum elegantia. Magnis pro eo ſtudiis certatum eſt. Cœlo Terraque tantum decus ad ſe rapientibus, Præfecti Urbis Filia oculos in eum conjecerat, optabatque ſponſum ſpe tantò certiore, quanto inter Romanas Nymphas eminebat, & ſanè, ſi quid mortale amandum fuerat, tuliſſet primas. Jam parentum vota conſenſerant, gratulabaturque pari & pulcherrimo conjugio Roma: cùm Gualterius generoſo faſtu conditionem aſpernatus, negavit fæminam ullam toto orbe dignam ſe marito; translatisque in cœlum deſideriis, caſtarum mentium ſponſam Virginitatis ſibi voto devinxit. Id

tamen

tamen conſilium parentes inſaniam vocarunt, & extorquere Filio non verbis tantùm, ſed verberibus etiam ſunt conati: ut neutris flecteretur, vox allapſa cœlo fugam adoleſcenti ſuaſit, quam cum Armeno Sacerdote in Picenum inſtituit: ubi deinceps eo virtutum ſplendore vixit, ut palam fecerit, æquum fuiſſe, eum ſtellatum naſci. Parentes diu perquiſitum denique reperêre, ſed jam inediâ ſqualidum, alióq;, quàm quem Romæ ſuſpexerant, vultu. ille tamen Deo plenus factum iis ſuum non approbavit tantùm, ſed ut imitarentur, induxit; quem finem utinam omnia parentum cum filiis certamina habeant; juvaret acies committere & cantare claſſicum. *Ex Phil. Ferr.*

## MEDITATIO
## *De multiplici laudabili fuga Sancti Qualterii.*

1. UT cum Qualterio fugias carnis illecebras diſce adagium illud de amore: *aut ſervi tanquam ſervus, aut fuge tanquam Cervus.* Qualterius ne amare cogeretur, *Poſuit pedes ſuos quaſi cervorum.* Præceptũ quidem non habuit Apoſtolus, neq; Deus dedit, non nubendi; melius autem facit, qui eligit non nubere, (ut maneat ſervus liber Chriſti)

quàm

quàm fieri mancipium amoris; cujus lineamenta ab Epicteto expreſſa ſi accuratè videris, contra ipſum amorem odium concipies. *Amor eſt otioſi pectoris moleſtia, in puero pudor, in Virgine rubor: in fœmina furor, in Iuvene ardor, in ſene riſus*, & quis amaret amorem?

2. Ut fugias mundum, diſce memoriter teſtamentum; quod M. Aurelius Imperator mundi amatoribus reliquit: *O Munde qui nihil minus es, quàm mundus. Annus hic quinquageſimus ſecundus, ex quo naſcentem me accepiſti: quo toto tempore, ne ſemel quidem veritatem ex te audivi, & in decies mille mendaciis te deprehendi: nunquam à te quicquam petij quin promiſeris: nunquam mihi promiſiſti, quod dederis: nunquam tecum commercij, quicquam habui, quin deceptus fuerim: nunquam Societatem tecum inij, quin perierim. Deniq; nihil unquam in te, cur amandus eſſes, vidi, & quidquid in te vidi, dignum erat odio*, vale immunde munde.

3. Tibi applica illud Marcelli reſponſum, quod interrogantibus, cur adeo non metueret ſibi in Conflictibus, repoſuit: *Ego Romanus ſum* (dic tu, Chriſtianus ſum) *itaq; decet me Caput diſcrimini vitæ, & quibusq; incommodis ſubjicere.*

---

# S. BONIFACIVS Mart.

5. Junii.

*Vos autem genus electum, regale*

*Sacerdos*

*Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*, 1. Petri v. 9.

BONIFACIO & hoc & Apoſtoli nomen Germania peperit, cùm Winfridus olim vocaretur. Monaſticen puer amplexus eſt, multùm adverſante Patre, donec, immiſſo divinitus morbo, pertinacia ejus eſt domita. Sacris initiatus Friſones Chriſtianâ diſciplinâ imbuendos, Pontificum deinde juſſu, Germaniam univerſam excolendam ſuſcepit; Sociis etiam in partem pii operis adſcitis. In Boica S. Sturnionem, Treviris Gregorium ſibi junxit XIV. annorum adoleſcentulum, cùm Anagnoſten in triclinio peritè agenti aures dediſſet: capto enim egregiæ indolis experimento, unius congreſsûs ſuavitate ad ſui eum imitationem attraxit, ut palam dictitaret, ſuis ſe pedibus cum Bonifacio orbem terrarum peragraturum, ſi equi copiam avari amici negâſſent. Bonifacii labores, & arduum LV. annorum à Sacerdotio ad Martyrium uſque actorum curſum quis explicet, in tantâ ſæpe neceſſarii victûs inopiâ, ut cœlo commeatum ei ſubmitti avium miniſterio, fuerit neceſſe. Friſonibus Christo nuper additis diem dixerat,

quâ

quâ ſacro Chriſmate frontes inungeret: Ij ex diſcipulis latrones facti, optimè de ſe meritùm cum LI. ſociis peremerunt. Irruenti in ſe barbaro Evangelii Codicem Bonifacius objecit, qui etſi diſciſſus eſt, negant tamen ullam literulam eâ plagâ vitiatam. Omnia ipſius facta dictaque admiranda ſunt; illud ſæpe ſæpius repetitum noſtra ætas multò veriùs, quàm Bonifacius audiat: Olim Sacerdotes aureos cum ligneis calicibus fuiſſe, nunc aureos eſſe calices, ſed ligneos Sacerdotes. *Ex vita apud Nicol. Serrar.*

## MEDITATIO

## *De Sacerdotum, & eccleſiaſtici, ac religioſi ordinis vita exemplari.*

1. PRavis Clericorum moribus ingemiſcens *Bonifacius* dicere ſolitus erat. *Aliàs aurei Sacerdotes erant, calices autem lignei: nunc verò calices ſunt aurei & lignei Sacerdotes.* Lubeat quoque magnum Magiſtrum morum S. Gregorium audire in paſtorali ſuo: *Nemo in Eccleſia amplius nocet, quàm qui perversè agens nomen, vel ordinem Sanctitatis habet; delinquentem namq; hunc redarguere nemo præſumit.* repetite hoc, *delinquentem namq; hunc &c.* Quod homo non præſumit, hoc faciet Deus, juſtus & rigidus corrector & peccantis, & corrigere negligentis.

2. Et

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

2. *Et in exemplum culpa Sacerdotis vehementer extenditur, quando pro reverentia Ordinis peccator honoratur. ita Gregor ibid.* Aſſerente Chriſto! *lux mundi vos eſtis*: Sole mundi oculo, à lunâ interpoſitâ eclipſato, deliquio laborat tota Sublunarium rerum pulchritudo: & quis erit ſplendor virtutum in Laicis, ſi ſuiſmet vitiis obſcuratur Eccleſiaſticus vel religioſus Ordo? aut ſi morum improbitas honoratur in Deo dicatis, quis pœnam à vulgo errante expoſcet, quomodo ſe reum agnoſcet.

3. S. Bonifacii codex Evangelicus in loco plagæ à Sicariis incuſſæ, nec literæ unius aut apicis vulnus aut jacturam exhibet. Summa gloria Eccleſiaſtici ordinis eſt, tam doctrinæ Evangelicæ, quàm morum integritas. Qui hanc integritatem pravis moribus vitiaverit, næ is ipſis Bonifacii & Sociorũ Martyrum Sicariis atque latronibus deterior eſt.

# S. NORBERTUS EPISC. CONFES.

6. Junii.

*Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* 1. ad Cor. 11.

NORBER-

NORBERTUS Dux ejus Familiæ, quam præmonſtratenſem indigitant, ſummis Aulæ Imperatoriæ honoribus perfunctus, cùm mundo ſe abdicaſſet, ſuorum progreſſus, atque incrementa, ab ipſomet Chriſto in cruce pendente eſt edoctus. Nocentiſſimam Tanchelini hæreſin Antverpiæ tum graſſantem, introductâ è ſuis coloniâ, jugulavit. Archiepiſcopus poſt Parthenopoli, quia in corruptos civitatis mores liberè pro Deo & dicebat & agebat, multorum in ſe odia convertit, ut jam eſſent, qui necem ipſi, Socijs verò exilium minitarentur: ſed eorũ inſidias ſemper cœlum eluſit; tametſi Norbertus Servatorem æmulatus obvius nonnunquam hoſtibus iverit, & luculentam ab ijsdem plagam abſtulerit. Mariæ cultui ſe ſuosque æternùm devovit; undeè Virginis manu veſtem candidam (quá mores ſuos tota hæc Familia etiamnum monſtrat) ab Auguſtino verò leges aureis litteris exaratas accepiſſe memoratur. Ita candidatus cùm cœlum diu ambiviſſet, anno demum CXXXIV. ſupra M. obtinuit, & in victoriæ ſignum olivam manu præferre viſus eſt. Nonnemo eundem ſub Lilij imagine tranſportari in cœlum conſpexit. An non gra-

tulari ſibi terra tunc potuit, cùm flores habuit, quos in ſua roſaria transferre Superi amabant? Sed & nunc tales daret, ſi non ungue infeſto invidus cœlo heu! mundus præriperet. *Ex Surio.*

## MEDITATIO
## *De Sacra Synaxi.*

1. S. Norbertus 40. diebus, tum jejuniis tum orationibus, & corporis afflictionibus ad primum ſacrum faciendum ſe ſe præparavit. Ad cœleſtes Epulas crebriùs accedito, Chriſtus in Euchariſtia eſt panis vitæ, & omnium tum tentationum, tum vitiorum remedium: hæc divina myſteria ſi ſæpius ſuſceperis, confirmabitur fides, ſpes excitabitur, & charitas magis ac magis accendetur. Denique fons eſt omnium gratiarum. Ah Domine! quàm bonus es! quoties volo, poſſum tam ſalutares aquas bibere, nec ad fontem curro!

2. Cave! ne nimio ac negligenti uſu, tua minuatur adversùs tantum Sacramentum reverentia. Accipe ſemper hoc divinum pabulum, tanquam ultimum accepturus. Memineris, humilitate, recollectione cordis, & corporis puritate animum præparari ad ejus ſumptionem. *Accedite cum fide, timore & dilectione.* Aug.

3. Cùm accipis amantiſſimum JESUM, totus ſis in actibus fidei, humilitatis, amoris. Quò quis accedit paratior, eò majori gratiâ donatur. Quid agis,

agis, antequam ſuſcipias Jesum? quid in ipſa ſuſceptione? quid demúm, & poſtquam eum ſuſcepiſti? Non te lateat, quòd *Non minùs peccant qui tradunt* Chriſtum *peccatoribus membris, quàm, qui* Chriſtum *tradiderunt crucifigentibus Iudæis.* Aug.

## S. CLAUDIUS Archiep.

7. Junii.

*Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli.* Paul. ad Cor. cap. 6.

SAlinis in Burgundia præclaris ortus parentibus eſt Claudius, ſal terræ futurus. VII. ætatis anno ſcholas adiit, inque omni literatura laudabiliter eſt progreſſus; conſortia malorum declinabat ſemper, nulli fœminæ, quamvis miles, locutus, niſi neceſſitas urgeret; vitas Sanctorum lectitabat, & de ſimilibus ejus fuêre colloquia: ſal nempe fuit ab omni libidinis putredine carnem præſervans: cùmque in Biſantinæ Cathedralem Eccleſiæ, XX. ætatis anno, receptus eſt, vitæ rigore & ſolitudinis amore, Monacho quàm Canonico ſimilior vixit, eâ virtutis apud omnes æſtimatione, ut Archiepiſcopi munus ſubire cùm reſtitaret, etiam

à ſummo Pontifice juberetur. Ita ſeptennio, nil lecti, veſtium, cibi potûsque mutato rigore, cùm optimè præfuiſſet; agente divino Spiritu, infulam cucullo mutavit, inque Ordine S. Benedicti atque S. Eugenii monaſterio, L. annos Abbas, ingenti diſciplinæ & œconomiæ emolumento exegit, ubi nonagenarius levi morbo, quem tamen ſibi lethalem ſciverat, correptus, ſuis vale dixit, poſtque quatridui orationes, in templo ſacris munitus, receſſit ad cubile ſuum, elevatisque ad cœlum manibus oculisque, ſedens exſpiravit. Corpus ejus in monaſterio ſepultum, ſervatur integrum: Quomodo enim ſal corrumpatur, quo alia conſervantur. *Lipeloo.*

## MEDITATIO
## *In vitam S. Claudii.*

1. S. Claudius, annos viginti natus, mundi vanitatem novit, adeò, ut vel in medio mundanorum tumultu, ſecum habitaret, gauderetque feliciori Anachoretarum tranquillitate. A longo tempore noviſti mundi fallacias, non te latet, vanos honores polliceri, momentaneas delicias dare, & ejus divitias ſeminarium eſſe criminum, atque moleſtiarum; ni caveas, fruſtrabere cœleſtibus, quòd ames plùs æquo terreſtria; ut quid amas

mas mundum, cujus expertus es vanitatem?

2. Antiſtitis Juſſu fit canonicus tum divino inſtinctu Biſuntinus Antiſtes. Ad nullum munus accedas, niſi vocatus à Domino, à quo nimirum ad aliquod vitæ genus deſtinaris. Haud dubiè te pœnitebit, ſi minùs divinis ejus conſiliis morem geſſeris: in tua vitæ conditione contentus eris, ſi ſcias, hanc te complexum eſſe ex Dei voluntate, ſolenne tibi ſit, inconſulto Deo nihil quicquam ſuſcipere.

3. Tandem ad optatam eremum ſecedit, ut seriò mortem meditetur. *Oportet*, (dicebat quondam Dux Clariſſimus(*ut mortem inter & vitæ negotia, non nihil ſit intervalli, ne imparati diſcedamus*, Nunc animæ meæ ſaluti conſulam: par eſt, ut qui tam diu corpori ſuo ſervierit, tandem animæ ſerviat ſuæ. *Demus Deo aliquod tempus vitæ noſtræ, ne totum diem vanitas iſta. & ſollicitudo miſeranda conſumat.* Chriſ.

# S. MEDARDUS
## EPISCOPUS.
### 8. Junii.

*Nolite errare, Deus non irridetur, quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet.* Paul. ad Gal. 6.

NOlit fortaſſè à Gildardo gemello ſuo ſejungi MEDARDUS, cum quo ita

communia habuit omnia, ut eodẽ die ambo nati, ambo denati, ambo ſacris infulis induti ſint: leges tamen hìc ſeorſim de Medardi pueritiâ paucula, de Gildardo paria cogitabis. In ſplendidas opes natus, unicum earum uſum noverat, liberalitatẽ. Prætextam ſuam cæco largitus, ad matrem propè nudus recurrit, geſtiens, quòd tantillâ veſte Chriſtum induiſſet. Equorum cuſtodiam cùm ultrò ſibi depopoſciſſet, unius abducendi copiam egeno viatori fecit: cujus jacturam cùm pater acerbè ferret, gregem recenſentibus, numerus nullo capite imminutus apparuit. Ipſe nihilominus pietatis ſuæ fructum præſentem tulit, Aquilæ alis à pluviarum injuria defenſus. De agrorum limitibus exarſerat inter vicinos certamen, ſpectabatque res ad arma, nî puer litem finîſſet. Saxum enim, medio repertum campo, pede contigit, ſuumque velut in molli cera veſtigium impreſſit, eòque prodigio limitem vel oſtendit, vel fecit. Eleutherio contubernali ſuo de mitra olim indipiſcenda oraculum dedit, cui poſtea vates ipſe ſucceſſit. Defuncto cœlum faces funebres ſuppeditavit. Clotharius Rex ſandapilæ ſuccollavit.

collavit. Cùm tumulo inferretur, cœlum diduci pandique viſum, nempe ut melior Medardi pars eo cum triumpho veheretur, geminæ columbæ itineris duces futuræ obviam profectæ ſunt: quibus tertia, quæ de Sancti ore egreſſa eſt, ſeſe junxit. Has alas animæ Simplicitas & Modeſtia affixerunt: nos in pavoninis ſuperbimus. *Ex Surio.*

## MEDITATIO
## *De non irridendo Deo.*

1. SOEpe quidem mundo riſum fecit S. Medardi ſimplicitas, ſed quæ mundo viſa eſt riſu digna ſtultitia, ſapientia ſumma fuit apud Deum. Nec Sanctos, nec Deum rideas. Ridet autem Deum quisquis fallit datam ipſi fidem, quam præſtaret viro alicujus nominis: Deo promiſiſti, abrenunciaturum te Sathanæ pompis; an ſtas promiſſis? quis ex actionibus tuis argueret, te Chriſtianum eſſe? *Inter Chriſtianum & gentilem non tantùm fides debet, ſed etiam vita diſtinguere.* Hieron.

2. Deum ridet, quisquis Dei verbis non credit, vel veritatem, potentiam ac bonitatem ejus in dubiũ vocat. Difficilè (ait) dives intrabit in Regnũ Cœlorum: Beati pauperes; da pauperibus & habebis theſaurum in Cœlo. Omninò non credis Domini verbis, aliud quippe teneres vivendi inſtitutum; vel ſi credis, graviſſimè Deum offendis, cùm opera tua tam malè fidei tuæ reſpondeant.

3. Deum ridet, quisquis tantùm ipſi vitæ ſuæ finem reſervat, reliquias nimirum mundi, Dæmonis, & voluptatum: Egregiis ſcilicet verbis munus ſuum ornat, qui dicit: ubi me ceperit voluptatum ſatietas, nec per ætatem potero ijs indulgere, tunc temporis me Deo tradam: Nunc nunc ſtudendum vitæ meliori. *Quamdiu? quamdiu? cras, & cras, quare non modo? quare non hâc horâ finis turpitudinis meæ?* Auguſtin.

# SS. PRIMUS & FELICIANUS. MM.

9. Junii.

*Timete eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam.* Luc. 12.

PRIMUS & FELICIANUS cum Jove & Hercule falſis Dijs, Diocletiano & Maximino crudeliſſimis Imperatoribus decertârunt ſolâ adverſus illos pietate, adverſus hos patientiâ armati: cujus ut inſignia documenta darent, Angelorum beneficio, viam ſibi ad fugam aperientium, noluerunt uti. Bellaria tamen, quæ acerrimè verberatis allata cœlo ſunt, libârunt, ne viribus ſuccumbentibus, levioribus, quàm vellent,

ſupplicijs defungerentur. FELICIANUS, octogenario major, cæſtus & ſuffixas unguibus ſubulas, vultu immoto tulit: mentiente nihilominus, ut Primo fucus fieret, Præſide, Felicianum tormentis ceſſiſſe, ſtultâ impudentiâ: cùm Angeli nihil eorum, quæ acta fuerant, Primum ignorare paterentur. Ergo is quoque faces ardentes ſuo ſanguine extinxit; liquatum plumbum (tanta erat patiendi ſitis) velut fontanam bibit. Leones & urſi cum illis compoſiti, nec animorum, nec corporum vim imminuerunt. Etiam ſecuri cæſos muſcæ canesq; non auſi ſunt contingere; tanta eſt virtutis etiam apud animantes æſtimatio. Utinam homines, qui ſoli tanti capaces boni ſunt, & præmia noverunt, ſuis hæc animi decora momentis expenderent! Sed eheu: quàm vili venditur innocentia! *Ex Surio.*

## MEDITATIO
## *De triplici metu ſalutari.*

1. IN mundiali arena profani Martis timere leporum eſt. In palæſtrâ Chriſti ſummæ fortitudinis & victoriæ argumentum eſt, ſanctè timere: ille PRIMUS erit in pugnâ, & verè FELICIANUS in obtinendâ victoriâ, quem ſanctus timor legitimè certare docuerit. *Initium ſapientiæ timor Domini*

*ni in pugile Chriſtiano.* Deum time quod omnia poſ-ſit, videat, judicet, & immiſericorditer puniat. *Et timor iſte fundamentum erit ſalutis tuæ.* Tertul. Quis enim miles coram duce ſuo prævaricari auderet mandatum ejus?

2. Infernum time, nec magnificentiùs dicas, o-perari te amore, non timore, & timorem ejusmo-di in ſceleratos duntaxat cadere; Sancti enim eo-dem ſtimulo excitati, in viâ virtutis cucurrerunt, nuntium remiſerunt mundo, & ad deſertas ſolitu-dines confugerunt. O potens gehennæ timor! eo ſi plures percellerentur, plures utique adſcriberen-tur cœlis. Quantumvis in præſentia ſis bonus, peſ-ſimus fieri potes: time, donec ad cœleſtem ſecu-ritatem perveneris.

3. Time peccatum, quo Dei amorem in te ex-tinguis, & accendis furorem. Sancti bonorum & vitæ privationem, ipſumque infernum leviori pec-cato antepoſuerunt; peccatum quippe vel mini-mum, cùm infinitam Dei majeſtatem lædat, malum gravius eſt, quàm omnia ſupplicia. Itàne ſentis? *Convertatur ad Deum timor tuus, quia perverſus eſt omnis timor, quo metuis aliquid præter eum.* Bern.

# S. OLIVA
## Virgo & Mart.
10. Junii.

*Omnis arbor bona fructus bonos facit.*

*facit, mala autem arbor malos fructus facit.* Matth. 7. v. 17.

NObilis virgo fuit OLIVA. Id ſi cunis avitis non crederem, monilibus crederem, vinculis inquam, quæ anno ætatis tertio decimo pro Chriſto geſtavit, multum hoc muliebri mundo, & quantum nulla alia virgo, ſuperba. At mors, ſive ætati hoc, ſive generis ſplendori dabat, noluit tam pulchram Olivam immaturo fato decerpere. Tyrannus tamen ex oculis patriæ (Panormum erat) in exilium tranſtulit. Nihil minus in hoc florere viſa Oliva. quid? quòd cœco eidemque pedibus capto cum luce Chriſtum oſtendit, & ad partes Chriſtianorum docuit ambulare; cùm alius interea, quòd fidem nollet aſpicere, oculos amitteret. Hos tamen etiam reſipiſcenti reſtituit, & utrumque ad Martyrii curſum præmiſit, cùm ipſa ad eandem gloriam ſeriùs, & ingentibus triumphis graſſaretur. Etenim flagris cæſa, in ſilvas eſt relegata. Gratulatæ ſunt ſcilicet ſibi hæ de Oliva, ſub cujus umbrâ etiam effera animalia manſueſcere, & cum Virgine innoxia totum ſeptennium agere viſa. Interea homines in fe-

ras

ras migrârunt. Nobilis enim juventus dum feras captat, viſâ Virgine in retia Veneris ſe induit. At Virgo, an ait, *dubitatis parcere Virginitati hominem, cui vim inferre beſtiæ verentur? aut, qui contra feras me defendit, DEUM pugnaturum pro me contra inferos homines dubitatis?* Dixit: & naſſis expeditos turpib⁹, mox Martyres cœlo tranſmiſit. Ipſa etiam ſuperatis denuò flagris & equuleo, oleumque ab igne bulliente triumphans ſecuta, gladio ſecandam cervicem, caput coronandum cœlo dedit. Nunquam pulchriùs Laurus Olivæ ſe junxit. *Ex Ferrar.*

## MEDITATIO
## *Qualis quisque debeat eſſe, ut ſit Oliva fructifera in domo Dei.*

1. S. OLIVA oleo fluxit miſericordiæ, cujus ſalutifera pinguedine cæci viſum, claudi greſſum, moribundi vitam recuperarunt. Qualis tu Oliva in Eccleſiæ horto? an Stillas ſimile Oleum? lege indicem operum miſericordiæ, tum corporalium, tum ſpiritualium: *Miſereatur, qui miſericordiam ſperat; pietatem, qui quærit, faciat: qui præſtari ſibi vult, præſtet*: S. Chryſol. Serm. 14. *Et ante fores gehennæ ſtat miſericordia, & neminem permittit in carcerem introire, qui miſericordiam fecit.* S. Aug. hom. 39.

2. S. OLIVA flagris cæſa, à paterno ſolo avulſa, in ſilvas

in ſilvas incultas ejecta, nunquam non fructum tulit, nec loco, nec tempori, nec fortunæ alligata. Tu non aliter vis florere virtute, & fructus operum proferre, quàm ſi humectaris rore cœli, eteſiis conſolationum & bonæ fortunæ favoniis recrearis. Irruente vel levi flatu adverſitatis, deſpondes animum, & exareſcit pietas tua: *Nec cedendum, nec recedendum, etiamſi gravis tentationum fervor, utrimq; hominis ſtatum afflixerit: eligamus potiùs ardere quàm cedere.* S. Bern. Ser. 3. de vig. nat.

3. S. OLIVA integro ſeptennio inter Sylveſtres arbores & dumos virtutum exercitio floruit: ita & *tutior caſtitas ſervatur inter feras, quàm inter homines.* OLIVA tantâ manſuetudine erat inter beſtias, ut ad hanc olivam tanquam ad umbram ſuam recurrerent, & qualis tu inter homines, Concives, & domeſticos? nunquid ſicut leo in domo tuâ?

# S. BARNABAS
## APOSTOLUS.
### 11. Junii.

*Pacem ſequimini cum omnibus & Sanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* ad Hæbreos 12. cap.

HAbuit BARNABAS patriam Cyprum: Magiſtrum in lege judaica Gamalie-

lem; in Chriſtiana ipſum Chriſtum. Apud hunc Virtus in collegium diſcipulorum LXXII. adlêgit; & melior deinde fortuna orbem perambulanti Paulo, aliquamdiu comitem addidit. Lyſtris poſtquam Paulus claudum in pedes erexit, urbs utrumque velut delapſa Numina excepit; jamque aras & victimas & geniales coronas paravit, in Paulo Mercurium, in Barnaba Jovem venerata. Et profectò, etſi, ut par erat, divinum honorem longè illi repudiârunt, officio tamen tunc melioris Mercurii functi ſunt, Deumque Civibus nuntiarunt. Supervenientes quoque Judæi plauſum lapidibus excitarunt, & his tantùm non ſepultum Paulum, facilè hominem, non Deum eſſe probarunt. Barnabas etiam Salaminæ à Judæis multis tormentis excercitus, ſaxis ultimò obrutus, & in ignem conjectus eſt. Sed ex hoc etiam rogo ſuum cœlo Phœnicem vidiſſes prodire, integro etiam corpuſculo, quod D. Marcus terrâ compoſuit. Multò poſt, cùm in ſedem Antiochenam invaſiſſet, neſcio quis hæreſi peſtilenti afflatus, vigilavit pro re Catholica etiam mortuus Barnabas, & Anthimo Salaminæ Epiſcopo tertiùm viſus monuit, uti communis cauſæ

patroci-

patrocinium Conſtantinopoli apud Imp. ſuſciperet; ſimul etiam indicavit, quo loco oſſa ſua & unà volumen, in quo Divi Matthæi Evangeliũ exaraverat (nobiliſſima cimelia) reperiret. Et verò utrumque in honore habuit Zeno Imp. & corpus templo auguſto honoravit, volumen verò auro incluſit, rectè gemmam eſſe ratus. *Ex act. Apoſt. Bar. & Lip.*

## MEDITATIO
## *De ſanctitate uniuſcujuſq; in ſua vocatione.*

1. UT ſalvari, ita perire poſſumus in quolibet vivendi genere, cùm in omni vitæ conditione peccare poſſimus: igitur ne fidas ſanctitati vocationis, tùm ad fidem, tum ad Religionem. Bonis operibus, non loco, non habitu, non profeſſione, ſanctitas continetur; in illâ tantùm opera bona cum morientibus non moriuntur. Quâ ratione fungeris impoſitis tibi tuâ in vocatione officiis? *Non Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe, laudandum eſt.* Hieron.

2. Vitam vivas profeſſioni conſentaneam: alia quippe eſt virtus mundanorum, alia Religioſorum; aliter vivit vir Apoſtolicus, aliter ſolitarius. Vide vocationem tuam: ſervi penitus ejus ſpiritui: ſerva regulas, ſi habet; ſin minùs, Dei mandata. Roga

conſcientiæ

conſcientiæ tuæ Moderatorem, ut rectiorem tibi ac tutiorem ſalutis viam aperiat, à quâ nunquam diſcedas.

3. Sanctos imitare, qui eandem tenuerunt vivendi rationem: ſed unum inprimis, quaſi prototypum, tibi propone, quem invocabis, & pro virili ſtudebis imitari: quodlibet vitæ genus Sanctos habet, etiamnum viventes, hos etiam imitare; compara vitam tuam cum eorum vitâ. Cœlum petimus; Cœlum ſperamus: ubi nimirum eſt noſter theſaurus: ſit *ibi ergo cor noſtrum, ubi volumus habere theſaurum noſtrum.* Tert.

# S. ONVPHRIVS ANACHOR.

12. Junii.

*Non diligamus verbo; neque linguâ, ſed opere & veritate.* Joan. cap. 1.

ONUPHRIUM toto hirſutum corpore & rara humani cultûs retinentem veſtigia, poterat ſanè ſilvarum monſtris, & Satyrorum generi accenſere Paphnutius, ſi in externa ſpecie ſubſtitiſſet. At ubi greſſus, vitæ genus, moresque didicit, dubitavit, hominémne potiùs, an Angelum diceret. In Thebana regione Monachum indutus, cum

de

de Anachoretis fando accepiſſet, egreſſus in loca ſola Angelum vitæ comitem habuit. Nactus deinde novi inſtituti Magiſtrum, in tugurium palmâ inumbratum deductus. Inde illi cibus, menſtruo proventu; panẽ & aquam Angelus afferebat quotidianus miniſter octavo quoque die, ut delicatiùs veſceretur, is quoque, quem propriè Angelorum panem appellamus, majore pompâ, & debitâ Numini eſt advectus. Et potuit, credo, Onuphrius hac cœlitum amicitiâ beatus, hominum obliviſci: certè ſeptuaginta totos annos mortalem non vidit, donec quem nominavit, Paphnutius Dei juſſu, moriturum inviſit, ut è ſilvarum latebris tam rara virtus eo præcone protraheretur in lucem. Mortuo Angeli cecinêre Leſſum: Palma & caſa quaſi deſiderio viri, & alium quemcunque Dominum indignantes procubuerunt, Quid ad hæc noſtra Juventus, moribus juxta capillisque luxuriantibus in Nabuchodonoſorem citiùs, quàm Onuphrium degeneratura? *Ex. vit. PP.*

## MEDITATIO
## *De ſancto Amore ſui ipſius.*

1. EX charitatis lege amare te, non odiſſe de-

bes. Si te verè amares, num tibi quæreres bonorum Maximum? Quodnam autem bonum majus, & animæ tuæ convenientius, quàm divinæ primùm gratiæ, tum gloriæ æternæ poſſeſſio? ipſe es tyranno crudelior, cùm mortale aut veniale peccatum committis, æternis, vel temporaneis ignibus expiandum. An neſcis, martyrum ſupplicia nihil eſſe ad ignes Purgatorios, qui te manent vel propter unum veniale peccatum?

2. Corpus tuum ſi amaveris, dabis operam, ut debito obſequio unâ cum animâ in partem veniat æternæ felicitatis. Patiatur neceſſe eſt, ut eam conſequatur. In laboribus Chriſti causâ ſuſceptis, & doloribus corpus deberet exultare. Si verè te amo meum corpus, efficiam, ut multa pro Chriſto patiaris; etenim multa merces corpori præparatur, quod multum paſſum fuerit. *Gloriabitur Chriſtianus in carne, ſed cùm propter Chriſtum lacerata duraverit.* Tert.

3. Certè parùm te amas: diligis voluptates, divitias, famam; ſed neque corpus neque animam tuam amas; diligis itidem parentes, quorùm conſulis ſaluti, dum tuam negligis. Ah! ſi verè te amares, nullum detrectares laborem, ut corpus & anima tua æterno gaudio potirentur. *Non recuſabitur labor, ubi amor eſt; quoniam qui amat, non laborat.* Aug.

S. ANTO.

# S. ANTONIUS DE PADVA.

13. Junii.

*Dico vobis quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die judicii; ex verbis enim tuis juſtificaberis & ex verbis tuis condemnaberis.* Matth. cap. 12.

ANTONIUS, quem vulgò Patavinum dicunt, S. Franciſci diſcipulus, ſuis ad concionem verbis, à flagitioſa vita quàm plurimos revocavit. Eam ob rem cùm oculi dolerent inferno hoſti, decumbentis in lectulum ſpiritum elidere faucibus interceptis aggreſſus eſt; ſed ille unico Mariæ nomine ſimul viam loquelæ fecit, ſimul inſidiatorem in fugam dedit. Hæreticum, qui ſacræ Euchariſtiæ cultum negaverat, ad ſaniorem mentem & ipſum reduxit. Cùm enim mulus impii à negato aliquàm multis diebus, ſed præbito demùm lautè pabulo, ad Antonium vocatus accurriſſet, ſanctiusque

Epulum pronus in pedes adoraſſet, ſapere à jumento ſuo etiam Dominus didicit. Pro concione funebri lucrionis cujusdam palàm edixit, illum æternis inferorum flammis addictum eſſe, ejusque adeò rei indicium fore, cor illius non pectore, ſed arcâ cum nummis ſuis clauſum. Præter alia multa, quæ fecit admiratione digniſſima, puerum demortuum vitæ reddidit, quò is parentem Antonii de homicidio accuſatum, innocentem abſolveret. Supremum ægrotantem Chriſtus inviſit, obitum verò ejus per urbem fando infantes vulgârunt. quò minori eloquio, hòc majore virtutis præconio. *Ex Surio.*

## MEDITATIO
## *De moderatione linguæ.*

1. TRigeſimo ſecundo à morte S. Antonii anno obſervatum eſt, linguam ejus incorruptam & integram eſſe, quaſi recens foret ab obitu; quo miraculo Deus remuneratus eſt rectum uſum linguæ, quæ de Deo cùm ex æquo, tum ex ſuperiori loco ſemper loquebatur. Tu verò, an ſemper de Deo vel cùm Deo loqueris? An cor cum linguâ congruit, cùm dicis Domino, dolere te de peccatis, eumque ante omnia amare? *Aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt, dum* *ubi*

*verbo præterita mala plangunt, ſenſu futura meditantur.* Salv.

2. Potes quidem variis de rebus loqui, dummodo, quæcumque dixeris, ad Deum referantur. Solari mœſtos, peccatores arguere, commiſſa tibi temporalia verbis exponere, & alia id genus proſunt ſaluti, ſi rectus fuerit dicentis animus. Itaque omnia verba tua ſerviant divinæ gloriæ. Imitare naſcentis Eccleſiæ Chriſtianos. *Ita fabulantur, ut qui ſciant Deum audire.* Tertul.

3. Dei cauſa tacendum eſt, dum calumniis tua fama dilaceratur; dum morderis ſcommatibus, quæ quidem ingenioſè retorquere poſſes; dum naſcitur occaſio te laudandi, vel alios criminandi, abſtine verbis otioſis & maledicis: cave, ne verba tua ſint aliis offenſioni. *Tacere nôſſe, quàm loqui, difficilius eſt.* Ambr.

# S. BASILIUS MAGNUS.

14. Junii.

*Non enim habemus hìc manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.* ad Hebr. c. 13.

MAgnum eſſe Basilium, ad ardentis columnæ facem D. Ephrem vidit.

Magnum deinde oſtendit CHRISTUS ipſe, dum ſacris operanti adeſſe ſpectabilis cum Sancto duodecim virorum cœleſtiū ſenatu, voluit. Sed & talem Hebræus nonnemo credidit, cui profano adhuc, ſacræ tamen menſæ accumbenti, cùm minimo in orbe magnū VIRGINIS FILIUM è manu ſua propinaſſet, manus & ipſe dedit. Magnum demum ſenſerunt è maximis Tyrannis duo. Horum alter Julianus (is qui turpe ſibi Apoſtatæ nomen peperit) orante contra ſe BASILIO, ſententiam ferente Deiparâ virgine, exequente D. Mercurio, orbi pœnas perfidiæ, quas meruit, dedit. Non felicior alter Valens, exilium D. noſtro necquicquam ſemel iterumque intentavit: Nam ſententiam impiā ferre jam cogitanti, ipſum juſtius judice ſuo tribunal reclamavit, ſellâ diffractâ; & ſubſcribere laboranti, penna atramentum, quod habuit, tertiùm negavit: ipſa manus facere officium noluit; certè ut non poſſet, exaruit; Conjux Filiusq; ægri ad cogitatum ſcelus nolentes etiam ingemuerunt. Et Filius quidem à magna Baſilii manu convaluit, Cui cùm Valens peſſimos ſuperinduxiſſet medicos Arianos, Filius continuò malè mortuus eſt. At bene noſter, ſub annum
Chriſti

Chriſti CCC. LXXIIX. vixit Baſilius, vel hoc uno Magnus magnique faciendus Partheniis Sodalibus, quòd Virgo vixit. *Ex Surio.*

## MEDITATIO
## *Mundus exilium eſt.*

1. MUndus Exilium, Cœlum patria eſt. Inde tria inferas oportet; primùm patriæ ſuavitatem vehementiùs appetendam eſſe, exules quippe divitias, ingenium, vires, amicorum gratiam, omnia denique profundunt, ut redeant in patriam ſuam: adhibe pariter, quidquid in te eſt facultatis, ingenii, ſanitatis, ut ad Cœlum, patriam tuam pervenias, ibi Maria mater tua, ibi parentes & amici tui: nervos omnes contende, ut illuc aſpires, Cœlum interdũ aſpice, nec poteris, quin exclames: *Quando veniam & apparebo ante faciem, Domini?* David.

2. Mundus exilium cùm ſit, perinde tibi eſſe debet, vel in hoc, vel in iſto loco manere: patria tua ſit ille ipſe locus, ubi Dei major gloria & animarum ſalus ſperatur. Ubique matrem invenies, quæ te ſuſtineat, ac tibi præbeat alimenta: Ubique ſol illuminabit te. Quid adeo ſolicitus es de habitandi loco? ea quidem (ait Aug.) Juſta eſſet ſolicitudo, ſi aliquò poſſes mitti, ubi Deus non eſſet. *Exul non erit, qui Deum in mente habebit.* Cypr.

3. Si in hoc exilio tot ac tantæ deliciæ, quid in



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

patria? ſi amicis juxta ac inimicis tanta dederit Deus, quid amicis & filiis daturus eſt? Contra verò, ſi in hac vitâ Electi & amici tam acerba patiantur, quænam & quanta inimici in alterâ?

# S. VITUS MARTYR.

15. Junii.

*Memor eſto itaq; unde excideris, & age pœnitentiam & prima opera fac.* Apoc. 2.

Liberalius cœlum Româ etiam pueris etiam pueris triumphum non negat. Certè VITUS Adoleſcentulus duodecim Annos natus, plures jam Tyrannos, eosque inter Parentem triumphavit. Flagra enim primò Chriſtianâ fortitudine concoxit, & poterant videri Aërem verberâſſe, non Vitum tortores, niſi & his & una Valeriano Proconſuli manus diriguiſſet. Reſtituit tamen hanc Martyr Tyranno, ne, quem vinceret, deeſſet. Hinc aulâ eſt incluſus à mulierculis & cæteris illecebris inſtructâ, quò blandiore, hôc periculoſiore, ſcilicet carcere. Sed præliantí Cælites adfuêre, tanta luce coruſci, ut lucem curioſi parentis oculis

oculis eriperent. Et hos tamen; quò filium ſæpius victorem vel invitus videret, ingrato reddidit; ipſe, atrociora patre ſupplicia meditante, Angelo remige uſus, in alias terras trajecit. Decrevêre nimirum cœli, ut Romæ etiam triumpharet hæc virtus. Huc itaque evocatus, Diocletiani filio malum hoſpitem Orcum pepulit; ſed ſtipendia tulit vincula. Ad Beſtias, deinde damnatus etiam has citiùs cicures, quàm tyrannum reddidit. In ollas porrò injectus, igne ac pice timendas, præ thermis ſuis has Diocoltiano laudavit. Ad extremum ex equuleo à Genio tutelari ad ripas Silari aſportatus, placidè inter umbras arboris animam victricem cœlo tranſmiſit, puer ſi annos; ſenex, ſi triumphos numeremus. *Ex Surio.*

## MEDITATIO
### *De Sacramento pœnitentiæ.*

1. OLlam pice ac igne ardentem præ thermis Diocletiani ſanctus Vitus laudavit, quo balneo animam emundare, & conſcientiæ vulnera ſanare poſſet. Quo modo pœnitentiæ tu balneum appetis, eluendis peccatis tuis? Hoc balneo nihil ſuavius, nihil utilius: Si detectum eſt, ſanatum eſt vulnus, & detegentis animus ſic mundatur,

quaſi in Jordane lepram depoſuiſſet. Hæc attende & lubentiùs ad lavacrum ſanguinis Chriſti properabis.

2. Cùm ſæpiùs peccemus, ſæpius utique ad hoc Sacramentum accedendum: qui poteſt homo lethalis peccati conſcius, vel momento vivere? eo quippe momento ſi moriatur, actum eſt, æternùm perit. Cùm quotidiè multos videamus præreptos ſubitaneâ & improvisâ morte, ut quid animum, integrâ peccatorum Confeſſione, ad certum exitum non comparamus? *Iterata valetudinis, iteranda eſt medicina.* Tertul.

3. Nunc acriter, & ad mortem uſque expiare debes, quæ confeſſus es peccata, niſi fortè pati malueris piaculares flammas. Semper brevis eſt pœnitentia, quæ ab æternis liberat ſuppliciis. Ah jucundi labores! quibus acquiritur divina benevolentia, atque inferni ac Purgatorii ignes extinguuntur. Dic cum primitiis pœnitentium: *Nunc maceror & excrucior, ut Deum mihi reconciliem, quem delinquendo leſi.* Tert.

# S. LUDGARDIS VIRGO.

16. Junii.

*Nihil eſt enim occultum, quod non manifeſtetur, nec abſconditum,*

quod

*quod non cognoſcatur & in palam veniat.* Luc. 8. cap.

NUlla pulchrior Virginitate eſt virtus, quæ DEUM etiam hominis facit rivalem. Ambierant LUDGARDIS thalamum complures, nec ignobiles terræ filii, & ex eis familiariùs uni fortè loquebatur, cùm ei ſanctior Sponſus Chriſtus pectus ſuum, & in pectore Cor ſaucium oſtendit, & extra hoc nihil deinceps juſſit quærere. Inde videlicet, humana omnia uſq; adeò illi jam vileſcere, ut præter Crucifixi nullos amores ſciret, præſertim ubi ab ejuſdem vulneris nectare ebria tota jam ibi habitabat, ubi ſanctior amor degit. Depoſuerat Dei MATER apud LUDGARDEM querelas ſuas, quibus Filium ab Albigenſibus hæreticis iterum in crucem agi dolebat. Hîc ut luctum virgo ſuum teſtaretur. VII. annorum ſibi jejunium indixit, alterúmque æquè longum pro peccantium ſalute adjecit, & ſubinde Sponſum irato Patri vidit ſupplicem, & vulnera velut clypeum pro orbe perituro objicientem. Martyrii deſiderio tam bulliebat in amante ſanguis, ut arteriam aliquando ruperit, cœlumque idem præmium, quod Martyribus, ſpoponderit

ſpoponderit. Sacrum Epulum adire inter Angelos non ſemel, quandoque etiam inter Mariæ & D. Joannis comitatum viſa eſt. Ante obitum oculis orbata nunquam tamen magis cœleſtia, quàm tum vidit. morienti enim cum Matre & aliis Cœlitibus obvius ſponſus venit: quibus ducibus in cœlos abiens errare etiam cœca non potuit. *Ex Surio & Lippeloo.*

## MEDITATIO
## *De triplici impedimento veræ confeßionis.*

1. S. LUDGARDIS ita cor ſuum volebat unitum cum corde Chriſti, ut mutatione factâ cor Chriſti daretur LUDGARDI & cor LUDGARDIS rependeretur Chriſto. Sufficiat tibi cor tuum mundare Chriſto, per confeſſionis Sacramentalis expiationem. Scrutare accuratè ſinuoſas conſcientiæ tuæ latebras, bene perpende, quid boni rapiant peccata, quid accerſant mali. Gratiam amiſiſti, quâ nihil pretioſius; tantum tamen damnum non doles?

2. Intempeſtivus pudor ſæpius impedit, quò minùs confiteamur peccata. Dæmon reddit confitenti, quod abſtulerat patranti. Depone præpoſterum hunc pudorem, niſi malis, decretoriâ die Angelis & hominibus tua innoteſcere peccata, quàm ea

nunc

nunc temporis homini ſoli aperire. Salutaris eſt præſens verecundia; futura verò planè inutilis. *Non pudeat dicere, quod non puduit facere.* Bern.

3. Ad eadem ſemper redis peccata, idem ſemper dicis in confeſſionibus: unde hoc? Ex eo ſanè quòd leviter proponas futuræ vitæ emendationem, ſcopulosque parùm proſpicias, ad quos allidere ſolitus es. Hæc in poſterum ſeriò meditare: parùm ſollicitus de ſermonibus hominum, fuge periculoſas occaſiones; quid enim indignius, quàm malle plùs placere hominibus, quàm Deo? *Adeòne exiſtimatio hominum, & Dei conſcientia comparantur?* Tertul.

# S. AVITUS Conf.

17. Junii.

*Omnia quæcunque petieritis in Oratione, credentes accipietis.*

Matt. c. 21.

OStendi utique AVITUM Deus Mundo voluit, cui tantam naſcenti lucem circumfudit, quantam humani oculi ægrè paterentur. Ipſe tamen latebras quæſivit Mictianenſi Monaſterio abditus, magni nominis famam adeò non affectans, ut nullo ſe libentiùs, quàm bruti vocabulo compellari audiret. Præter ſpem votúmque ad hono-

ratiora

ratiora munia productus, fugam iteratò inijt, & inter nemorum avia mapale molitus, ſibi Deóque vixit. Sed illum nocte intempeſtá cœleſti radiantem luce ſubulcus reperit, nullo magno viri incommodo, niſi in eam uſque diem elingui & muto, ſigno crucis loquendi facultatem dediſſet: quid enim ille prolixiùs poſtea, quàm ſui medici laudes loqueretur? ejus præconio proditus tertiam fugam parabat, niſi Præſulum auctoritate motus, boni publici rationem privatis commodis potiorem habuiſſet. Ex intervallo cœco lumen, mortuo vitam reddidit, quibus rebus adeò populorum adverſùs eum accenſa ſtudia ſunt, ut Aurelianenſes Dunenſesque mortui exuviis inhiantes, propè ad arma venerint. Jam caſtra caſtris oppoſita ſtabant, concursùmque fuiſſet, ni Leuſus quiſpiam ſummo genere vir furentes monuiſſet, ne crudeli pietate Divum offenderent. Utinam pari ſtudio pro virtutibus certaretur, quas in medio poſitas nulli invidet, nobiliſſimas ſine dubio omnium Reliquiarum. *Ex Surio.*

MEDITA-

# MEDITATIO
## De Oratione

1. PRopter ingenitam ſimplicitatem nullo in numero erat Avitus: Verùm ubi orationis ejus potentia innotuit, ſanctus haberi cœpit. A Domino nihil non impetrabis, ſi rectè petieris: pete, & accipies quidquid animæ, vel corpori tuo congruerit; ita in Evangelio promiſſum. O te felicem! ſi rectè ſcires orare! hanc velim orationis virtutem experire! pete confidenter, ut adjuvet te Deus in neceſſitatibus. Deum ora, conſule in dubiis, in afflictionibus, in tentationibus. Itane agis?

2. Verùm, ut idoneus ſis, qui cœleſtia dona accipias, redi citò in gratiam Dei: quî poſſet Deus votis inimici annuere? niſi Patris cœleſtis fueris filius, Paternam ejus miſericordiam non commovebis. Is tantùm patrem miſericordiæ precibus movet, qui gratiâ ejus eſt filius. Si tamen peccatis fueris adhuc irretitus, cave, idcircò omittas orationem, ſed eam auſpiceris ab actu contritionis, & ab eo ſupplex contende, ut te in amicitiam recipiat. *Non placet Deo orationis ſacrificium, niſi prius placeat ipſe, qui offert.* Lau. Juſt.

3. Noli ſpem abjicere, ſi ſtatim Deum non exoraveris. Deus amat, ut ita dicam, vinci importunitate, & aſſiduitate orationis; non ſufficit pauperi, ſemel petiiſſe, flagitat iterum, expectat, ſemper ſperat. Petenti tibi daturum ſe promiſit Deus; ſed non ſemel petenti: novit utilem nobis eſſe orationem, ideoque priuſquam concedat: *Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci.* Bern.

# S. LEONTIUS MARTYR.

18. Junii.

*Non contemplantibus nobis, quæ non videntur, quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt.* 2. Corint. 4.

VEſpaſiani ævo, LEONTIUS militiæ artibus clarus, Chriſtianæ pietatis pœnas dedit, Arcadio mite Cæſaris ingenium in virtutum excidium incitante. Datur Hypatio negotium hominis comprehendendi; is in procinctu febre corripitur; quâ ſe non ante levandum, Angelo docente, intelligit, quàm Deum LEONTII ſupplex inclamâſſet. Dictum, factum: etſi ne ſic quidem crudele miniſterium deſeruit; ſed cum Theodulo Tripolim Leontio imminens abiit. Enim verò non refûgit captatores nobilis prædæ; quin imò domum deductis comitérque acceptis ultrò ſeſe aperuit, ſed jam attonitis inauditâ humanitate, & imperii oblitis Tum demum Hypatius ſuſpicere LEONTII

Deum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Deum, qui ſuis cultoribus hos mores, talem indolem daret; eundem Theodulus deprædicare, unáque poſcere tam ſancto utrumque Numini initiaret. Favit cœlum votis, & roſcida nubes in imbrem ſoluta capitibus ſuperfunditur. LEONTIUS tinctos Deo conſecrat. Adrianus re intellectâ furere, & nihil profecturis ſævitiæ artibus tentare veterani pariter & tyronum conſtantiam, & hi quidem poſt equuleum, uncum & verbera, capite imminuti ſunt. LEONTIUS longâ patientiâ præſidis ingenium laſſavit, & totum carnificinæ apparatum exhauſit; donec pendenti continuá verberatione anima extorta eſt. Utinam quemadmodum Themiſtocli trophæa Miltiadis, ita nobis LEONTII triumphus ſomnum excuteret! *Ex Surio.*

## MEDITATIO
## *De cœli intuitu & deſiderio.*

1. S. LEONTIUS quod in cœlum ſemper oculos converteret, Tyranni juſſu ſaxum ejus collo alligatum eſt, ut invitus terram aſpiceret. ſemper ſuſpice cœlum. in proſperis ſi hoc ſuſpexeris, omnia tibi mundi bona ſordebunt: in adverſis, ſolabuntur te bona ibidem præparata. *nihil crus ſentit in nervo, dum animus eſt in paradiſo.* Tertul.

2. Interroga Beatos, quid in præſentiâ ſentiant

de terrenis: conſule eos in dubiis; quid, quæſo, reſpondebunt? Ah! profectò cum maximo miſerationis ſenſu nos intuentur, quòd bonis brevi relinquendis tantùm adhæreamus. *Quid cum terra illi, qui poſsidet cœlum?* Chryſol:

2. Deus (inquit Clemens Alexandrinus) dedit triplicem decalogum hominibus; primus is eſt, quem promulgavit Moſes. alter eſt lumen rationis, quæ cuique tum facienda, tum omittenda præſcribit. Tertius eſt cœli conſpectus: Enimverò quis ſerenâ nocte Cœli pulchritudinem aſpexerit, quin amet, & miretur ejus auctorem? Quis verò viderit cœlum caliginoſum, repetito fulgure mortalibus fulmina minitans, quin tonantem timeat, ac humiliet ſe ſub potenti manu Dei? Nemo Cœlum ſuſpexerit, quin terram ſpernat, cœlum cupiat, Deum amet, adoret, timeat, quibus rebus omnis obſervatio decalogi planè continetur. *Quàm ſordet terra, dum cœlum aſpicio!* Ignat.

# SS. GERVASIVS & PROTASIVS. MARTYRES.

19. Junii.

*Concupiſcitis & non habetis.*
Matth. cap. 4.

Pr

PAr hoc nobile fratrum, cùm chariſſimum ſibi patrem Vitalem, glorioſo martyrio coronatum, amiſiſſent, nullius reliqua precii æſtimabant, hinc manumiſſo ſervorum grege, divenditis fundis, æréque omni in egenos diſtributo, multâ ſe oratione, inter privatos parietes, ad futuras palmas præparabant. Maturavit optatam lauream orci ex idolo oraculum, quod Aſtaſio Comiti, contra Marcommannos præliaturo, edixit, bellum infortunatum fore, niſi GERVASIUS & PROTASIUS ante Diis ſacrificium obtuliſſent. Hi ergo vocati & ut Diis victimas parent pro reipublicæ bono, omnib' machinis ſolicitati ſunt; negarunt autem illi ſe idolis ſacrificaturos, malle potiùs ipſoſmet victimas, ſed vero Deo, fieri: Efferavit Aſtaſium hæc negatio, de eventu prælii, fruſtrato oraculo, trepidum, moxque ambos, plumbatis GERVASIUM, PROTASIUM gladio mactari jubet. Ita victrices animæ Parenti in gloriâ ſociatæ ſunt. Corpora diu incognita S. Paulo Apoſtolo indice, à S. Ambroſio Mediolani reperta ſunt, ab omni corruptione integra. Nunc de SS. horum reliquiis ad ſe delatis, Briſacum, Rheni frænum, gloriatur. *Ex Greg. Tur.*

# MEDITATIO
## De moderatione deſideriorum.

1. SS. Gervasius & Protasius diſtributis in pauperes bonis, omne humanarum rerum deſiderium ſimul extinxerunt. Tu quoque diſce ſtatuere modum vanis tuis appetitibus: velles modò corpus robuſtius, ingenium accutius, vires meliores, plura demum naturæ munera. Ex hoc immoderato appetitu naſcuntur moleſtiæ. Sufficiat tibi, quod dedit Deus: gratias ipſi age. Si pluribus naturæ donis inſtructus eſſes, tua fortè periclitaretur ſalus, & nihilo plus contentus eſſes: Unus Deus deſideria explet. Ejus voluntati accuratiùs morem geras, & votorum ſummam adeptus eris.

2. Quæ accepiſti bona à Domino, ea tibi ſufficiant: non eſt in divitiis, nec in honoribus animi quies. Quot ſunt pauperiores te, qui tamen ſunt feliciores, quòd plura non deſiderant, quàm dederit Deus. *Peccator, ſeu caret, optatis ſeu fruitur, miſer eſt.* S. Proſper.

3. Potes quidem altiorem ſanctitatis gradum concupiſcere, imò deberes heroicas Sanctorum virtutes æmulari, quantùm per vitæ tuæ conditionem licet. Scrutare deſideria tua. Si reſectis mundanorum deſideriis, vehementer appetas ſanctitatem, *ſi nec ſperes aliquid, nec extimeſcas, exarmaveris impotentis iram.* Boëtius.

S. PUD.

# S. PUDENS.

## Cum liberis ſuis NOVATO, TIMOTHEO, PUDENTIANA & PRAXEDE.

20. Junii.

*Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* 1. Tim. 5. cap. 8. v.

NOn jam Priamum aut Nioben Græcus Parnaſſus cantet in funera ſua fæcundos. At nos PUDENTI Senatorii ordinis Romæ viro, NOVATUM & TIMOTHEUM filios geminos, totidemque filias, Pudentianam & Praxedem gratulamur, omnes cum ipſo patre cœlo inſertos. Et felicitatem hanc tam ſancta familia Ducibus Apoſtolorum DD. Petro & Paulo debet, qui poſt hoſpitii teſſeram Pudentem ſacris undis admoverunt, & uti animum, ita animi ſocium corpus candida veſte induerunt. Et

Et ſervavit ille utramque ab omni labe eximiã, ædesq; ſuas commune miſeris hoſpitiũ fecit Demortui virtutes hæreditario jure ſibi debitas liberi certatim involarunt, quamvis vivente & arridente patre idem jam fecerant. Ædes in templum verſæ; patrimonium in pauperes dilapidatum; tota familia ( capita numerabat XCVI. ) omnis ſacro fonte luſtrata; latebræ afflictis Chriſtianis datæ: firmati nutantes, roborati morientes; mortui terrâ tumulati: ſacra à Novato & Timotheo fratre omnibus miniſtrata. Deniq; non jam in templũ tantùm, ſed cœlũ migrâſſe domum tam ſanctam dixiſſes. Certè cœlo digna judicata eſt nobiliſſima hæc familia; in quam utinam more veteri tranſire ignobiles nos terræ filii aliquando poſſimus.

*Ex Ferrar.*

## MEDITATIO
## *De Sanctitate boni Patris familias & domeſticorum ejus.*

I. S. PUDENTE vix alius ſanctius teſtamentum conſtituit. Pauperes ſuarum divitiarum: Liberos virtutum, & Chriſtum domûs ſuæ hæredem reliquit: quæ mox non tantùm in templum, ſed in cœlum etiam converſa videbatur, tam ſan-

ſtè nobiliſſima hæc familia in illa vivebat. Ut tu quoque inter domeſticos Dei nummereris, præ omnibus Deum Patrem tuum crede, & fiducialiter panem quotidianum ab eo pete, quærens ante omnia regnum Dei, & cætera adjiciet, *ipſe enim, ſic curat unumquemque noſtrum. velut ſolum curet, & ſic omnes, tanquam ſingulos.* S. Aug. lib 2. conf. cap. 11. *voca igitur Deum Patrem, & da operam quatenus tibi ſit cœleſtis vita, divini mores, & forma Dei quia cœleſtis Pater reſpondentes generi ſuo filios muneribus ditat divinis, degenerantes ad pœnalem revocat ſervitutem* S. Chryſol. Serm. 71.

2. Quam ampla illa familia S. PUDENTIS (capita numerabat 96) & omnis ſacro fonte abluta eſt. *Credidit ipſe & domus ejus tota,* tanti intereſt ad Sanctitatem familiæ rectorem domûs ſanctum eſſe, Si Rector non fueris in domo conſtitutus, imitare Filiorum S. Pudentis virtutes, fac ut quantum in te eſt vigeat in domo miſericordia S. Novati cultus divinus S. Timothei! Obedientia reverentialis erga præpoſitos S. Pudentianæ, Induſtria S. Praxedis in omnibus fraterna charitas.

3. Perpende in quibus domibus, Chriſtus in terris verſatus, libentius diverterit, nimirum in ſtabulo Bethlemitico, ubi opum & voluptatum luxus abeſt; in domo Nazaræâ, ubi JESUS MARIA JOSEPH. Virginum flores habitant.

# B. ALOYSIUS GONZAGA.

21. Junii.

*Obſecro itaque vos, Fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem & Deo placentem.* Paul. ad Rom. 12.

MOriturus Aloysius naſcendo erat, ſi non patienti Matri Mater MARIA affuiſſet. Inter prima ejus verba JESU & MARIA feruntur boni ominis. Puerulus etiamnum in ſingulis ſcalarum gradibus ſcalam cœli MARIAM ſalutavit. Hujus horas quotidie, Sabbatho etiam jejunus dixit. Ad hujus effigiem, quam Florentia Annunciatæ Titulo colit, florem virginitatis conſecravit, ſemper, dum vixit, intactum, quia Horto Concluſo commiſerat. Interim catenas flagelli, calcaria cilicii loco quamvis currenti ſponte corpuſculo admovebat. victûs vix unciam appendebat, fœminarum & chorearum hoſtis, Imperatricem, quam tres annos quotidie adibat, nunquam aſpe-

xit

xit, precibus tam ubique addictus, ut loqui cum angulis dicerent rectiùs Angelis dicturi. Ajebat frequenter: *Non videre ſe, cur non mortales omnes religioni ſe manciparent.* Et certè Senis cùm ad Sodales Marianos diceret, benè multis id perſuaſit. Ipſe, cùm aſſumptæ Virginis die illa è cœlo audiſſet, *Societatem IESV ingredere*: poſt longas cum Patre pugnas, Mariæ Jeſum junxit. Hunc, quoties ſtuderet, in genua provolutus vocare. Hunc ſub panis velo latitantem ante & poſt ludum literarium ſalutare, ſacrificiis quinis ſeníſve Miniſter aſſiſtere, ad conſpectum Hoſtiæ lacrymis manare; cùm verò eo epulo frueretur; inundare etiam; itàque nullius notæ gravioris ſibi conſcius Angeli nomen meruit: ut terra cœlum dici poſſet, ſi plures Aloyſios haberet. *Ex Virg. Cepario.*

## MEDITATIO
## *In vitam B. Aloyſii.*

I. Hic Sanctus adoleſcens victima fuit Charitatis: abdicato Marchionatu, invito parente, ſe ſuáque omnia Chriſto conſecravit. An ſimilibus vinculis alligaris mundo? Filium te moratur! dignus promiſſus Paradiſus, dignus vocans Deus, quorum cauſâ omnia relinquas, ſi minùs

re, certè quidem animo & voluntate.

2. Corpus ſuum Deo conſecravit caſtitatis voto, quod admiſſus in Societatem confirmavit. Angelicæ puritatis æmulus, mirum quantùm modeſtus erat. Mulieris vultum nunquam aſpexit, Accedebat immiſericors & aſſidua corporis afflictatio. Qui corpus ſuum Chriſto dicare voluerit, quaſi hoſtiam viventem & ſanctam, cohibeat ſenſus, ſtudeat mortificationi, neceſſe eſt. *Tota Chriſtiani vita crux eſt & martyrium.* Aug.

3. Obedientiæ voto ſuam Deo vovit libertatem. Quantis nunc **honoribus** tum in Cœlis, tum in terris **afficitur**, quòd olim honores ſpreverit? Non tutiori viâ itur ad cœlum, quàm obedientiæ. Obedias tibi, Præpoſitis fideliter, ſtatim, ſine murmuratione, quaſi Chriſto, qui præmium daturus eſt. Memineris, quòd non modò Religioſorum, ſed & omnium *Corpora fidelium, ſunt hoſtia Dei, membra* Chriſti, *templa Spiritûs ſancti.* Aug.

# S. PAVLINVS EPISCOPVS.

22. Junii.

*Cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucri facerem.* 1. ad Cor. 9.

NOvam artem PAULINUS docuit; etiam cùm

cùm nihil eſt, egenis tamen aliquid dare. Cùm enim in ampliſſima natus familia atque ditiſſima, quam vocem Chriſti Adoleſcens Evangelicus non audiit, hic audîſſet & in pauperes omnes opes erogaſſet, Antiſtes dein Nolanus etiam, cùm Wandalorum incurſionibus Italia infeſtaretur, omnes reditus captivis in libertatem aſſerendis contuliſſet, jamque nihil ſuppetere videretur unde unam ſpem viduæ Filium redimeret: ingenioſus ſe ipſum ſervum fœminæ addixit, quæ abductum in Africam cum filio ſcilicet permutavit. Ibi Regis ſocerum cujus hortos curabat, de morte regis commonuit. Hic accerſitum ubi vidit, illum ipſum eſſe exclamavit, quem nuper inter cœli tribunalia conſpicuum habuiſſet, quique flagellum, quod ad caſtiganda orbis ſcelera quondam acceperat, è manu rapuiſſet: quare & ipſum & cum eo omnes vinctos Nolanos manu miſit, navéſque in donum frumentarias complures addidit. Nolam igitur ingreſſus pulchrum de ſervitute triumphum egit, pluribus eum civibus, quàm Scipionem pileatis ſequentibus. Sed liber animus corporis adhuc ergaſtulo clauſus tenebatur. Tandem Anno CCC. XXXI.

hic

hic etiam vindicias ſecundum libertatem à morte accepit. At nunc Nola, imò Italia iterum captam ſe putavit, libertatis ſuæ auctore amiſſo, *Ex Dial. S. Greg.*

## MEDITATIO
## *De charitate in Proximum.*

1. S. PAULINUS proximum amavit plùs quàm ſe, quippe quem maluerit liberum eſſe, quàm ſe ipſum. Æmulare tantam charitatem. Ama certè proximum ſicut te ipſum: tum famæ, tum rebus ejus libenter conſule, eadem demum ipſi facias, quæ tibi fieri velles. An de te dici poteſt, quod de primigeniis Chriſtianis? *Vide ut invicem ſe diligant, ut & pro alterutro mori ſint parati.* Tertul.

2. Ingenito tibi tui ipſius amore extollis facta tua, nec arbitraris, in illis quidquam eſſe vitii; quòd ſi vitium aliquod in iis deprehendatur, ſtatim excuſationis velum prætendis: te demum amas in omnibus; idem præſta proximo: placeat tibi, quod facit: velles homines cæcos, & mutos, ſi quando peccâſti; eſne tu cæcus, aut mutus, ſi quando peccârunt?

3. Tuus in proximum amor neminem excludat, neceſſe eſt. Omnes ad Dei imaginem ſunt facti, omnes Chriſti ſanguine redempti, omnes itaque amare debes, Chriſtianus amor pendere non debet ex ingenio & arbitrio: is enim amor eſt prorſus naturalis, quem nullum in cœlo manet præmi-

um, S. PAULINUS fit mancipium, ut obſcurum hominem aſſerat in libertatem. *Neſcit* ( ait ipſe PAULINUS ) *noſtra Religio perſonas accipere, nec conditiones hominum, ſed animas inſpicit ſingulorum.*

# S. MARIA OEgniacenſis.

23. Junii.

*Cùm vadis cum adverſario tuo ad Principem, in viâ da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad judicem, & Judex tradat exactori, & exactor mittat te in carcerem: dico tibi non exies inde donec etiam noviſſimum minutum reddas.* Luc. 13. v. 58.

EX ampliſſimo virtutum MARIÆ OEgniacenſis viridario, flores omnes præter Virginitatis lilium licet carpere. Hoc enim illi parentum importunitas invidit, qui invitam nuptiis illigârunt: quarum vix libato uſu, marito continentiam perſuaſit, magna

Chriſti

Chriſti approbatione, cujus crucem nunquam ſine lacrymis, nunquam absque ſuo aliorúmve bono adoravit. Militem genere quàm moribus nobiliorem, ſuis præceptionibus perductum ad frugem, malus dæmon ad infames naufragiis ejus ſcopulos retraxerat. Id, Maria longè abſens, vidit tamen, & Crucifixi affuſa pedibus precum finem non ante fecit, quàm infelici avulſum contubernio, Deo ſiſteret transfugam. Eandem ſibi apud DEUM Patronam animæ piacularibus ardentes flammis optarunt, ſupplices nonnunquam ad eam manus tendere viſæ: & verò quid illi cœlum negaret, centies per diem flexo poplite ſupplicanti, trecentis plagis laceranti corpus, atro pane vexanti veriùs, quàm extinguenti famem, & ſanè non duraturæ inter hæc ſupplicia, niſi Angelorum præſentiâ foveretur, & familiari cum DEI filio uſu, qui ſubinde ſuâ infantiâ amabilis, aliàs agni, aut columbæ ſpecie decorus ei delicias faciebat. Ab hoc illi mira in divinas laudes eloquentia, vires adverſus inferni larvas ſuppeditatæ, quarum cùm ſe una morienti ingereret, hoc ejus convitio fugata eſt, *diſcede ſanies & turpitudo.* Id qua fronte dicent, qui per omnem

vitam

vitam ſe tam cupidè in hujus belluæ fimeto volutarunt? *Ex Surio.*

## MEDITATIO
## *De animabus fidelibus juvandis & pœnis purgatorij.*

1. SOEpius animæ flammis piacularibus eluendæ à lacrymis orantis Mariæ refrigerium ſensêre. Quam eleemoſynam tu adeo indigis animabus porrigis? potum aquæ promittit Deus ſeſe remuneraturum, etiam minimo, nomine ſuo exhibitum. Quid præmii futurum putas illi; qui amicis Dei tam charis, ſed modò in carceris arreſto detentis vel ſacrificio miſſæ, vel ſacræ Synaxeos fruitione devotâ, corpus & ſanguinem Chriſti, aut aliud opus bonum ad ſolatium tranſmiſerit. *Nihil tam divinum homo habet, quàm de aliis bene mereri. ſac ergo ut calamitoſo ſis Deus Dei miſericordiam imitando pro tuis viribus.* S. Gregor. Nazian. de amore paup

2. Viſis purgatorii flammis, fere Tyrannidem (ſed hic ſanctus amor eſt ſui ipſius) in caſtigando corpore ſuo Maria exercuit. *Quid tot venialium* imo & mortalium rei peccatores agunt? *Quid aliud purgatorius ignis devorabit, niſi peccata tua? quantò amplius tibi ipſi nunc parcis, & carnem ſequeris; tantò durius poſtea lues, & majorem materiam comburendi ſervas.* Thom. de Kemp. Lib. 1. cap. 24.

3. Cum infernalis larva morienti Mariæ ſeſe ingereret

gereret, his verbis abegit. *Diſcede Sanies & turpitudo.* Quâ fronte hoc dicent qui ſe in belluæ hujus fimeto volutârunt, dum viverent? & uſum pœnitentiæ horruerunt, in molli corpore? quam levibus corporis afflictionibus? vel orationibus? quam facili uſu indulgentiarum? tam duris cruciatibus, cum inferni tum purgatorii temetipſum eripere potes?

---

# S. JOANNES BAPTISTA.

24: Junii.

*Amen dico vobis non ſurrexit inter natos mulierum major JOANNE BAPTISTA*

Math. cap. 11.

JOANNES melioris Solis melior Phoſphorus, ortus ſui nuntium Angelum habuit. Ipſe in matre jam ſanctus, vix natus eſt cùm mutum parentem loqui oracula infans fecit. Patriam domum cum eremo mutavit, & cibum locuſtas ac mel agreſte, veſtem cameli exuvias habuit. Inde anno Tiberii imperantis XV. viam Chriſto munire exorſus, non tam verbis, quàm vitâ ad pœnitentiam

tentiam ſcelerum hortatus mortales, animorum lavacro initium dedit, quod ipſum Servator ſanctius tactu ſuo reddidit. Hunc ille itaque mundo Agnum oſtentare, ad hunc è ſchola ſua Diſcipulos rectiùs erudiendos remittere, & jam indignum ſe putare, ad cujus vel ultimum ſervitium deſcenderet. Sed nimirum ſe ipſo major ſacris etiam vatibus omnibus prælatus, & ſecundus à Chriſto eſt proclamatus. Et tamen tam charum cœlo caput, Herodes ſaltatriculæ filiæ pedibus donavit, & crudelibus oculis paſcendis menſæ etiam inferri voluit. Itaq; tunc, ſi unquam aliàs, lautè cœnavit gula. Quæ enim menſa tam nobile caput habuit.
*Ex Hiſt. Evang.*

## MEDITATIO
## *De S. Joanne Baptiſta.*

1. ECce! pœnitens nullius peccati conſcius, cujus, cùm Matrem Maria inviſerit, in ipſo materno utero ab originali labe fuit liberatus. Quodnam admiſerat crimen, cum tres annos natus jam tum in deſerto pœnitentiam ageret? Exemplo docet, vel innocentiſſimo neceſſariam eſſe pœnitentiam, cùm trium annorum alacer eam complectatur? macte, brevi ſenties, qui Dei cauſa voluptates valere juſſerit, deliciis inexplicabili-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bus redundare. *Quàm ſuave ſubitò factum eſt mihi, carere ſuavitatibus nugarum! &, quæ dimittere metus erat, amiſiſſe gaudium fuit.*, Aug.

2. Hoc durius vivendi genus, maturè ſuſceptum, ad mortem uſque tenuit. Unus debet eſſe pœnitentiæ & vitæ terminus. Tecum ſemper corpus; contra te verò & Dæmon & mundus. Inducias ſi conceſſeris, periiſti. Cogita infernum, unde recedis; Paradiſum, quò accedis: & nunquam tædebit te pœnitentiæ.

3. Vana eſt pœnitentia abſque humilitate: Joannes Prophetæ, ac Meſſiæ nomen, alioſque honores rejicit, coram Chriſto abjicit ſeſe. Deprimes te pariter coram Deo, & coram hominibus: quod facis, quod pateris, nihil eſt præ laboribus Sanctorum. *Quid prodeſt tenuari corpus abſtinentiâ, ſi animus ſuperbiâ intumeſcat?* Hieron.

# S. GALLICANVS MARTYR.

25. Junii.

*Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium.* Matth. 10. v. 34.

GALLICANI victorias de Perſis Scythisque

thisque relatas admirandi, illam, quâ ſe-ipſum triumphavit, imitandi jus eſto. Eò gloriæ venerat, ut conſtantiæ conjugium, præmium militiæ poſcenti, Conſtantinus pater negare nihil ſit auſus, modò Scythas Romanis finibus ejeciſſet. In eo dum eſt, milites panico perculſi metu, magnam partem dilapſi infrequentia ſigna reliquêre. Anxio ea re Gallicano: Joannes & Paulus Conſtantiæ familiares, voti Deo nuncupandi conſilium ſuggeſsêre. Obtemperantem cœleſtis ſtrategus crucem præferens, eo fretum ſigno, cinctumque, quos ipſi adduxiſſet, ſtipatoribus, ſequi ſe è veſtigio juſſit. Ita per attonitos hoſtes ad ipſum Scytharum Regem penetravit. Neque ille auſus hiſcere adverſus tantam vim vitam pactus, ſe ſuáque Gallicano permiſit. Inde illi veri Numinis admiratio, ejuſque ritè colendi ardor injectus, Romam deportato exercitu, abdicatâ conjugii ſpe, rebuſque humanis valere juſſis, ſe ipſum Chriſtianæ modeſtiæ finibus circumſcripſit, ille orbis terror, & ſecundus à Conſtantino Dux, Pater pauperum, peregrinorum hoſpes factus, pedum ſordes abluere, ægrorum lectulos ſternere, inferre convivantibus ci-

bos, obſtupeſcente orbe terrarum viſus eſt. Julianus denique peſtis pietatis hanc tantam virtutem proſcripſit & gladio addixit. Decuit nimirum, ut toties victor cœlum laureatus ingrederetur, Triumphalem currum manibus pauperum trahentibus.

*Ex Surio.*

## MEDITATIO

## *De pace & bello hujus mundi pro animi obtinendâ tranquillitate.*

1. S. GALLICANUS ut pacem obtineret ferro, & cruce, armatus prodiit, in hoſtem: Chriſtiano militi, abſque cruce non obtinget victoria. Vis pacem cum proximo? crux tibi erit, diſſimulare multa. De tuo jure ſæpe tibi remittendum erit. Pax & charitas Symbola ſunt diſcipulorum Chriſti, & acriter Dæmonem urunt: *Pax veſtra* inquit Tertull. *bellum eſt illi.*

2. S. GALLICANUS cum nequiret pacem habere, vel cum impiis Scythis, vel cum Apoſtata Juliano niſi cum Deo Bellum haberet: Scythas debellavit feriendo: Julianum patiendo triumphavit. Nunquam cum impio fœdus contrahito: Si nactus fueris, qui te ad peccatum alliciat, ne taceas ſolvendæ pacis metu: audacter te oppone ſi ſuperior es, prudenter increpa: ſi ſubditus, honora Chriſtum

in

in imperante, at contra præceptum Chriſti, ne agas, nullam cum vitiis, aut vitiorum ſtipendiariis, pacem habeto, *Nam tranquillitas iſta tempeſtas eſt.* S. Hieroym.

3. S. Gallicanus ut pacem ſecum ipſo haberet, abdicatis à ſe aulæ titulis, militiæ ducatu, & conjugii fortunâ, atque honoribus, factus eſt ſervus omnium in Chriſto. Hæc optima animæ tranquillitatis conciliandæ ratio, infra omnes ſe ſe deprimere, & nulli præferre, vel comparare. *Non eſt periculum quantunque te humilies: eſt autem grande periculum ſi vel modicè te extollas vel uni præferas, quem fortè parem tibi veritas indicat, aut ſuperiorem.*

# S. JOANNES & PAULUS.

26. Junii.

*Scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino Chriſto ſervite.* ad Coloſſ. 3. v. 24.

Quia pax non eſt impiis, nec duæ olivæ in perfida Juliani Apoſtatæ aulâ, inſeri ſe paſſæ ſunt; Joannem dico & Paulum Germanos fratres. Hi in Conſtantini aula

educati, conſtantiæ ejus filiæ miniſtri, &; ob novatam bene operam, etiam hæredes facti, cum altiora ambirent, omne illud æs, per pauperum præmiſere manus, ad cœli theſauros comparandos: quos cùm eis eripere Julianus non poſſet, nec fidem vero Deo ut, ſuo exemplo perjuri, fragerent, impetraret, vitam eripuit utrique per Terentianum, qui fœdè mentitus eſt, eos in exilium miſſos; cùm rectà abſciſſo capite ad patriam potius honorum perveniſſent. Id tamen beneficii Terentiano, quamvis malè de ſe merito, reliquerunt, ut liberato ad cæſorum tumulum, ab inferno hoſpite ejusdem filio, qui vitam abſtulerat corporis, cum fide vitam mentis reciperet, vitæ inſuper Martyrum poſtea factus ſcriptor & encomiaſtes. Porrò Sanctos hos Martyres tempeſtatum potentes plebs piè credit & veneratur, tibi major non imminet tempeſtas, quàm cum animæ periculum. Habes, ſi vis Martyres hoſce patronos. *Ribad. in vita SS.*

## MEDITATIO
### *De vita & Martyrio S. Ioannis & Pauli.*

Quantum

1. QUantum beneficium! JOANNES & PAULUS peſſimè de ſe merito Terentiano, filium ejus à Dæmone poſſeſſum liberârunt, & Terentiano converſionem à Deo impetrarunt, Hoc eſt *Benefacite his, qui oderunt vos.* Qui ſic facit, arbor bona eſt, quæ fuſtibus iteratò vapulans, percuſſori demittit fructus. Quid prohibet te Imperatorem Sigismundum imitari, qui cum carperetur à ſuis quod inimicos non interficeret: *Inimicis inquit non parco, ſed interficio: quia inimicis ignoſcendo & benefaciendo reddo amicos* Et hoc eſt odium illud Davidis, pſal. 30. *Odio perfecto oderam illos.*

1. SS. Martyres JOANNES & PAULUS ut ſuperarent Tyrannum Julianum ante omnia concupiſcentiarum ſuarum domuerunt Tyrannidem. Ut æmulator ſias, obſerva S. Auguſtinum glorioſa dicentem de Martyrum victoriis: *Non Martyrum ſola effuſio ſanguinis conſummat, nec ſola dat palmam exuſtio illa flammarum: pervenitur non ſolo occaſu, ſed etiam contemptu carnis ad coronam: carnem afflixiſſe libidinem ſuperaſſe, avaritiæ reſtitiſſe, triumphaſſe, pars magna Martyrij eſt.* S. Aug. de SS. MM. 40.

3. SS. JOANNES & PAULUS Conſtantiæ Conſtantini filiæ hæredes facti, æs illud in pauperum ſinus occultaverunt, ne Helluoni Juliano præda obtingeret. Quid non tolerat? quid non timet, qui ſperat hæreditatem ne ſpe ſua excidat? & quid fit pro hæreditate æterna filiorum Dei? Quin! pro momentaneâ voluptatulâ lethaliter peccaminosâ

venditur cœlum, & ſi cliens offendit vel ſemel Mecænatem ſuum quàm facile exhæreditatur; quoties offendiſti Deum.

# S. LADISLAUS. CONFESSOR.

27. Junii.

*Regnum meum non eſt de hoc mundo, ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utique certarent, ut non traderer Judæis.* Joan. 18.

LADISLAUM Belæ primi Regis Ungarorum filium imo MARIÆ, vides; ita totus ab hujus uberibus, dum vixit, pependit, ſed neque mortuus, ut audies, dimiſit. Cæterum vix alius Regum tot virtutibus aut purpuram ornavit, aut coronam diſtinxit: ut minus mirer, ſi legam aulam ejus ab Angelis frequentatam eſſe. Certè ipſe ab Angelo germanum ſuum vidit coronari, ſed & Angelum ſub cervi ſcemate ignitis cornibus locum vidit ſignare, quo promiſſam Matri Magnæ ædem conderet. eorundem cœlitum ope, cum in multis aliis pugnis, tum in duello contra

patruum

patruum ſuum Regem Salomonem victor evaſit. Etenim, cum hic cum uno rem ſibi LADISLAO crederet eſſe, conſpexit ſub congreſſum contra duos præterea Angelos ſibi certamen eſſe, qui gladio jamjam Salomoni graves imminebant. Noluit igitur, etſi Hercules ſibi ipſe videretur, in tot tantoſque pugnare; ſed abjecit arma pacem coluit. Toties victor LADISLAUS, coronam tamen ferre Ungariæ ſemper reſpuit, nobiliorem & immortalem ambiens, quam ut faciliùs obtineret, facere fortiter pro terra Sancta conſtituit in ea proinde expeditione, cùm Dux lectus eſſet omnium copiarum, Ecce in ipſo Belli apparatu pulcherrima morte occubuit. Mortuus porrò & currui impoſitus, ſine jumentorum hominúmque ope in templum, quod ab ea Virgini ſtructum memoravimus, non tam vehi quàm currere viſus eſt. Obſtupuit ad miraculum Orbis, at non ego etiam. Nam cur filium mirer ad Matrem ſuam decurrere.

*Ex Ant. Bonfin.*

# MEDITATIO
## *De Regno Dei.*

1. OMnes ad Regnum cœleſte vocati ſumus: en hæreditas! quam Pater cœleſtis nobis

 bis

bis præparavit. Per te ſtat, quominus tua ſit: non illi ſolùm, qui pecuniis, ſcientiis, nobilitate & ingenio valent, eam accepturi ſunt. ſed unus quisque eam poteſt ſperare. *Omnes pari ſorte naſcimur, ſola virtute diſtinguimur.* Minut.

2, Regnum noſtrum non eſt de hoc mundo: hic verſamur quaſi in exilio: in acie ſumus. pugnandum, & vincendum eſt, ut cœleſtem coronam conſequamur: ſuam alii felicitatem his in terris quærant, ego quidem eam duntaxat in cœlis. Lacrimabor cum ſanctis: patiar cum Jeſu, ut expleto exilii tempore cum ipſis regnare poſſim.

3. *Regnum Dei intra vos eſt*: hoc eſt, in tuâ manu, potes quidem relicta tibi à parentibus hæreditate ſpoliari; at comparata Sanguine Jeſu Chriſti non item. Tu ſolus eam potes amittere. Jam verò, ut potes in cœlis cum Jeſu gaudere, potes utique in inferno cum Dæmone cruciari. *In tuo Arbitrio Deus poſuit, cui pares locum, Deo an Diabolo? cùm paraveris, qui poſſidebit, ipſe imperabit.* Aug.

# S. POTAMIÆNA VIRG. & MART.

28. Junii.

*Si tradidero corpus meum ita, ut ardeam charitatem autem non*

*habuero*

*habuero, nihil mihi prodeſt.*
1. Corrinth. 13. v. 3.

Felices nos, ſi bona noſtra, ſi quæſtum virtruis & certa pietatis vectigalia noverimus! quantillo poſſumus diteſcere! POTAMIÆNA Alexandrina Virgo formæ causâ, cum multis conflictata procis, & in illo certamine ſuperior, ex Amoris palæſtra in ſcenam crudelitatis tranſiit, ut ad pudoris lilia conſtantiæ laurum adjungeret. Aquila homo ſanguinarius carnificinæ præerat, cujus in Potamiænam omnem atrocitatem effudit, certus fidem illi vel vitam eripere. jactatam per omnia tormenta denique ad rogum cum Marcella Matre damnavit. Virginis ducendæ cura Baſilidi demandata non omninò experti humanitatis & mitiori ingenio, quàm pro tam barbaris miniſteriis. Is ergo inſultantem virgini multitudinem compeſcuit, magiſque fidi cuſtodis, quàm lictoris munus explevit. Hoc tantillum officium ne ſuo auctori periret, curæ ſibi fore, moritura virgo promiſit. Neque defuit dicto fides. Triduo à morte exacto ad Baſilidem reviſit, eique coronam civicam velut Servatori ſuo im-

poſuit. Ille ex donativo benevolentiam Numinis æſtimans ſtatuit integrum ſtipendium mereri, & confeſtim auctoratus Chriſto, fidem illi abſciſſo capite probavit. I, dic magno conſtare cœlum, quantulum dedit Baſilides, ut ex Lictore Martyr fieret, *Ex Euſeb. Hiſt. Eccl, lib. 6. cap. 4.*

## MEDITATIO
## *De Virtutibus & Martyrio Potamiænæ.*

1. AQuila Tyrannus ( melius Bubo ) cum Venereis ignibus ſuis Potamiænæ virginitatem fædare non poſſet, Filiam cum Marcellâ matre rogo addixit. Hæc indoles eſt laſcivè amantium: Si amando non poſſunt ſæviendo ſaturare ſe volunt. Multi errant arbitrantes nubendo incaſtum ignem ſtatim reſtingui. Sed pabulo creſcit ignis, niſi & flammam intercidat gratia ſacramenti matrimonii. ſed & cœlibatui datur gratia *à ſponſo virginum*, vel ut cælibatum ſincerè profeſſi, non ardeant, vel fomite peccati ſcintillam concipiente faciliùs reſtinguatur.

2. Crudelitati Tyranni Baſilidis Lictoris opponamus humanitatem. Magis ille cuſtodis, quàm lictoris munus explevit in Potamiæna. *Conſidera, O homo unde nomen ſumpſeris; ab humo utiq;, quæ nihil cuipiam eripit, ſed omnia largitur omnibus, unde appellata eſt humani-*

*tas ſpecialis & domeſtica virtus hominis* S. Ambroſ. 3. offic. cap. 3. Quæ tua humanitas? in amore? in more? in ore? in re?

3. Baſilidi, quod conſervaſſet POTAMIÆNAM, non quidem illæſam ab igne, ſed à furore ardentis multitudinis, corona obvenit à cœlo POTAMIÆNA offerente: & ex lictore factus eſt Martyr non alieno ſed ſuo ſanguine purpuratus. Quanta manebit corona & merces in altera vita illi? qui animam proximi ab igne infernali vel cuſtodivit dehortando à peccato, & impediendo, vel peccatorē à peccatis ad Deum reducendo. Quantum econtra pœnæ illi? & quæ ratio reddenda? qui exemplo ſuo vel juſſione perdiderit animam Chriſti ſanguine redemptam?

# SS. PETRUS & PAULUS Apoſtoli.

29. Junii.

*Tibi dabo claves Regni cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cœlis.* Matth. 16.

**REctiùs hodie Roma, miſſo cum Remo Romulo, conditores ſuos PETRUM & PAULUM**

Paulum ſalutat, quando huic meliori Orbis imperium capite ſuo pepererunt. Et Petrus quidem, qui pro Chriſto in terris rem Chriſtianam adminiſtravit, quæ ad ignem peccaverat, ſemper oculorum imbre plectens, cùm captus & in vincula datus ab Herode, ab Angelo exemptus eſſet, morbos paſſim omnes vel umbrâ ſuâ fugaſſet; demum orbem in Urbe adortus Chriſti ſigna primus Romæ intulit. Hic ubi præſtigiatorem Simeonem in cœlos (ut ipſe quidem ajebat) volantem humi dedit præcipitem, Neronis furori cedens Chriſtum obvium habuit, qui rogatus quò iret, Romam ire ſe ad alteram crucem reſpondit. Implevit vaticinium Chriſti continuò Petrus, ſed ut Magiſtro honorem cederet, inverſo corpore tolli in crucem voluit, quò capite terris, hoc pedibus cœlo jam propior. Jam Paulus ille cœli etiam ante fata civis, ille Nominis Jeſu per omnem orbem præco, poſt edita miracula & litterarum oracula quàm plurima, hoc ipſo die Petro triumphanti collega additus, ſecuri percuſſus eſt. Caput ſanguinis loco primò lac, deinde tergeminos fontes totidem ſaltibus dedit, oleū

inte-

interim effuſum, Jesu nomen clamando, immiſcens. Agnoſceres tam pretioſis liquoribus refertum electionis vas eſſe. *Ex hiſt. Eccl.*

## MEDITATIO
## *De SS. Apoſtolis Petro & Paulo.*

1. Viderat Petrus pleraque Jeſu Chriſti miracula, Ieſum tamen ter negavit, ac ipſo quidem Paſſionis tempore. Prô! quanta eſt humana fragilitas! Cum timore & tremore operemur ſalutem noſtram; ne deſperemus tamen: nos quippe, ſi reſpexerit Ieſus, ſalvi ſumus: peccata lugeamus exemplo Sancti Petri, cujus ex oculis duo lacrymarum rivi jugiter erumpebant, cùm recordaretur perfidiæ ſuæ. *Sacrifica lachrymas, tanquam vulnerati ſanguinem cordis.* Aug.

2. Paulus ex perſecutore fit Apoſtolus. Quid ſumus? quid fuimus? ut vera ſit converſio noſtra, imitari debemus S. Pauli in viâ virtutis conſtantiam, adeò, ut citiùs vitâ quàm gratiâ careamus. Studeamus pariter, ejus habere patientiam, animarum ſtudium, humilitatem, & in Chriſtum amorem. Audi, quid dicat S. Paulus. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego* Chriſti.

3. Vide, quibus honoribus hi Apoſtoli in terris nunc afficiantur. Reges, Imperatores, Summi Pontifices ſupplices abjiciunt ſeſe ad cineres piſcatoris, & artificis; nôrunt quippe, maximam eorum in cœlis potentiam, & dignitatem. Honorum cupidi! quid præ his honoribus ſunt honores ſæculi!

ſi tantus honos ſanctis in terra adhibeatur, quid in Cœlo? ſanctorum virtutes imitemur, & quam conſecuti ſunt gloriam, nos pariter conſequemur.

# S. MARTIALIS EPISCOPVS.

30. junii.

*Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid poſſumus.* Paul. 1. ad Tim. cap. 6.

NOn mirum ſi tam mira præſtitit hic Galliæ Apoſtolus, qui duodecim Angelos habuit in ea convertenda adjutores. Miraculum certè ingens eſſe oportuit. Cujus, vel ſolâ famâ moti, hominum millia quindecim, deſertis idolis Chriſto ſe addixere. Factum tam fortè prodigium in Valeria Virgine quæ ob caſtitatem Deo juratam, cùm ſponſalia Aquitaniæ Ducis recuſaret, decapitata ab irato fuit: at ſuis manibus de terra ſublatum caput truncata ad operantem ſacris Martialem aſportavit, qui caput trunco, animam corpori, vitam virgini momento reſtituit. Atque hoc multos: plurimos adoleſcens oratione movit, qui à San-

à Sancto revocatus ad vitam, viſa in inferis annunciare juſſus. Infernus, clamabat, abyſſus eſt ſine fundo, ibi fletus, planctus, mugitus, amaritudo, tenebræ, triſtitia, deſperatio, ibi frigus inexplicabile, ignis ardore terribilis, magnitudine immanis, urens ſine fine, torquens ſine corruptione, ibi morſus ſerpentum, fœtor intolerabilis, putredo, miſeria, vermis, qui non moritur, carnifices infernales in animas æternis cruciatibus ſævientes. Et necdum aures tinniunt? nondum pili horrent & ſurriguntur ſceleratis? Barbaros hoc audire movit ad emendationem: ſi Chriſto credentes non movet, plus quàm Barbaros crede. Tu applaude Oratori, non manus collidendo, aut pede terram pulſando cum theatrali plebecula, ſed cum S. Hieronymo pectus tundendo. *Nadaſi ex Matyrol. Gall. Suſaij.*

## MEDITATIO

### *Sola rectè facta comitantur nos in alteram vitam & nunquam excidunt.*

1. S. MARTIALIS ſex mortuos revocavit ad vitam, illud in hac parte, pro epi-

 logo

logo, de fine vitæ tuæ diſce, Sodalis Mariane, nudi egreſſi ſumus ex utero: nudi tumulum ingrediemur: quid bona congregas, brevi relinquenda? dic mihi quæſo, quanti facies imminente morte, quæ nunc tantùm amas? ſequentur te bona, vel mala opera, præterea nihil. Quantum ſperas comitatum? an non vereris unum te ex illis fore, *Qui dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis?*

2. Tua malefacta accuſabunt te coram divino tribunali. Quid dicturus es miſer, ſi Teſtis conſcientia tua ſtabit contra te? *Tu nos feciſti, opera tua ſumus, non te deſerimus, tecum pergemus ad iudicium.* S. Bern.

3. Et quid mundus Epitaphii loco tibi exſculpet pro omnibus operibus, quibus mundo ſerviiſti? illud ſibi ſcribi voluit Rex quidam Franciæ & eſt commune multis:

*Riſi, ploro. Fui, non ſum. Studui, requieſco.*
*Luſi, non ludo. Cecini, nunc mutio. pavi*
*Corpus, alo vermes. vigilavi, dormio. dixi*
*Salve, dico Vale. rapui, rapior. ſuperavi,*
*Vincor. Multa fui vivens, morienſque nihil ſum.*
*Munde vale, vermes ſalvete. Hoc diſce viator.*

BreVIs è VIta haC eXItVs, æternItatIs Longæ erIt eXorDIVM.

Ergo.

VIgILate, qVIa neſCItIs, qVa hora DoMInVs Veſter VentVrVs sIt.

Matt. 24. v. 42.

INDEX